



## L I B E R III.

### *De Philosophia Graecanica.*

**G**lamvis ex superius probatis satis superque nobis constet, Sapientiam, ipsamque Philosophiam omnium primò apud Hebræos floruisse, à quibus deinde ad omnes Mundi gentes derivavit; si tamen verum fateri velimus, nos Græcis Philosophiam, sicut & scientias omnes acceptas ferre debemus. Enimvero etiamsi verum sit, *Philosophorum Græcorum plurimos*, ut inquit Clem. Alex. i. Strom. aut genere Barbaros, aut à Barbaris eruditos fuisse; &c, ut idem Alex. loc. cit. ait, *Philosophia, res varie utilis, olim quidem apud Barbaros floruit, à gente ad gentem emicans, donec ad Græcos traducta est*; rudit tamen ille Philosophiæ embryo, qui apud Barbaros, Ægyptios potissimum erat, à Græcis adeo illustratus, & auctus est, ut ad id Philosophicæ perfectionis eorum studio, & labore ventum sit, quo eam nunc esse conspicimus. Non equidem nego, Homerum, & Hesiodum, quos deinde Thales, Pythagoras, Plato, aliquique secuti sunt, omnium primò anno ab Orbe condito 3000. in Ægyptum navigantes, Philosophiæ, scientiarumque omnium semina inde ad suos deportasse; verùm ea deinde ipsi adeo excoluerunt, illustrarunt, auxerunt, ut non immerito Philosophiæ, scientiarumque omnium inventores & dicti, & habiti sint. Accedit, quod Hebræorum, & Barbarorum omnium Philosophia tota fere circa Deorum cultum, vel mores componendos versabatur; Græcanica vero præter has Theologicam, & Ethicam Philosophiæ partes, Physiologiam potissimum exercuit. Sed antequam ad Philosophiam, quæ à Græcis Philosophis clare, & per præcepta tradebatur, accedamus; de Mythica, seu Fabulosa, quæ à Poëtis fictis fabulis tradita, pauca attingere placuit.

## C A P U T I.

### *De Philosophia Mythica.*

**M**ythica Philosophia est, quam Poëtæ tractarunt, qui fictis plerumque personis, & gestis, non solum Moralem, sed Naturalem etiam Philosophiam

sophiam fictis *Musis*, Fabulis involutam homines docuerunt; unde Mythica, & Poëtica Philosophia audit. Et profectò quædam in Poëtarum scriptis sunt, quæ ad utramque Philosophiam, Moralem scilicet, & Naturalem pertinent.

Hujusmodi Philosophiæ Antesignanus Doctor extitit Homerus, magnus ille Sapientiæ antistes, quem divinam sortitum naturam Democritus dixit, variorum carminum ornatum fabricatum fuisse; cùm non insit ulli ea vis, ut sine divina, & geniali natura tam sapientes, & elegantes faciat versus. Et ab ipso quidem multa Philosophi didicerunt, à quibus magno semper in pretio habitus est: unde Zeno Citeates, Stoicorum Dux, Homericarum Quæstionum libros quinque composuit. Et Magnus ille Alexander Homeri libros non solum in precio habuit, ita ut oblatam sibi de Darii supellectile arculam, & precio, & opere incomparabilem, illorum custodiæ destinarat; sed etiam in deliciis; nam dormiens eos sub pulvinari una cum pugione reponebat. Et Divus Basilius, *Omnis Poësis Homeri*, inquit, *est laudatio virtutis, omniaque ad hoc refert*, &c. Et Plutarchus in Vita Alcibiadis notat de ipso hoc celebre factum: *Ubi ex pueris excessit, adiit ludimagistrum, postulavitque volumen Homeri. Qui cum nihil se diceret Homeri habere, inflatio colapbo, reliquit eum*. Cum aliis se habere diceret Homerum, quem ipse emendasset: *Et tu, inquit, literas doces, qui valles emendare Homerum? Quin juvenes instruis?* Adeo verum est, veteres omnes magni semper Homerum æstimasse. Idem Plutarchus in Lycurgo hoc de Homeri Poësi judicium profert, cùm de Lycurgo loquens, in Asiam profecto, ait: *Ibi cùm legisset primum, ut arbitror, versus Homeri, qui apud Cleophilii posterorum asservabantur, ubi animadvertisit in iis dispersam non minorem oblectamentum illecebrarum, & crapulæ, quam civilem prudentiam, eruditio[n]emque; descripsit, consarcinavitque eos ad deferendum domum studiose. Jam enim obscurum quoddam apud Græcos illius poëmatis erat nomen, & vari fragmenta habebant, quæ sparsim, & incondite circumferebantur. Primus autem omnium vulgavit ea Lycurgus*. Et Johannes Ludovicus Vives de tradendis Disciplinis lib. 3. pag. 528. & 529. hoc de Homero judicium profert: *Primum quæ scripsit, non dicere videtur, sed ante oculos sistere; ea est quasi depingendi vis, & efficiacia: qua virtute posteros omnes abhuc sine controversia superat: nec corpora expressit modo, sed animorum reconditos illos motus, qui sub sensu non veniunt; ut nihil esse aliud ejus poëma videatur, quam imago vitæ humanae*, &c. Plura vide apud ipsum loco citato.

Ab Homeri, & Hesiodi scriptis omnis Theogonia, quam ipsi ab Ægyptiis acceperant, ad Græcos derivavit. Verum quæ Poëtæ de Coccyto, Pblegetonte, Tartaro, & similibus commenti sunt, per quæ animi perturbationes intelligebant, Sapientes non sic credebant, ut narrabantur, sicuti vulgus faciebat. Unde Cic. 1. Tusc. Quæst. inquit: *An tu hæc portenta Inferorum esse credis?* Et id genus alia, quæ ipse retulit in libris de Nat. Deorum. Hæc enim, & similia ad Moralem Philosophiam spectantia, non secundum literam accipienda sunt.

Atque hinc facile educitur, non esse cujusvis fructum Sapientiæ, & Prudentiæ ex Homero carpere, sed ejus tantummodo, qui aliquantum in rerum natura, ac virtute proficit: quin moribus etiam periculum erit à fœdis illis, quæ Poëta de Diis narrat, tanquam de suibus. Idcirco Plato in Alcibiade putat, *Non debere eos, qui Sapientiæ nec dum sunt initiati, incidere in Homericâ Poëmata, ne Heroa illum arbitrentur scribere fabellas*. Imo quandoque tam obscurus Poëtæ sensus est, ut nec satis fabulas capiant ipsi Philosophi; unde alias hoc, alias illud significari conjectet, nec tam fabulas sententiae ipsius Poëtæ adaptet,

ptet, quām suam fabulis, ut perperam aliquos fecisse notat Stobæus in Eclogis Physic. l. 2. c. 1.

Orpheus quoque insignis ille Poëta Thracius, qui magnus profanæ antiquitatis Theologus habitus est, cuius versus piissimis de Diis sententiis pleni sunt, Metaphysicam Philosophiæ partem optime per fabulas poëtice docuit. B. Justinus quosdam Orphei versus citat, in quibus ille de Abraham, & Tabulis Decalogi Mosis mentionem facit. Multi vero plurima, quæ Orpheo tribuuntur, opera, non Orphei, sed alias recentioris putant.

Notari dignum hīc est, quod habet Proclus in Theologia Platonis, de Orphica quadam secta, quæ per Symbola docere consueverat; ejus verba sunt: *Orphici per Symbola, Pythagorici per Iconas divina tradere statuerunt.* Potuit itaque ut à Pythagora Pythagorica, sic ab Orpheo Orphica secta derivare. Mythicam etiam Philosophiam soluta oratione per fabulas ad mores bene componentes multi Græcorum docuere; quod ex Græcis Fabulis non est, qui ignoret. Horum primum, & maximum commemorasse sufficiat, Æsopum Philosophum, genere Phrygem, conditione servum, qui tempore Crœsi, ultimi Lydorum Regis vixit, Olymp. scil. 56. an. U. C. 200. Mundi 3500. & ante Christum natum circiter 598. Corpore fuit deformis, visu turpissimus, mente tamen sublimis. Quare Divus Hieron. eum in nativitate, in vita, & in morte infelicem appellat; quia nasci deformis, vivere servus, mori à Delphis peremptus debuit. Ultimus Æsopi dominus Xanthus extitit, Philosophus Samius; qui cùm in agrum, quò se oblectaret, ivisset, interrogatus ab agri colono fuit, cur terra herbas, quas sua sponte produxerat, sine cultu melius aleret, quām ab ipso satas, & bene cultas? Xanthus respondit, sic divina Providentia factum. Æsopus verò agricolæ dixit, terram similem esse mulieri, quæ majori cura proprios filios, quām filios sui viri enutrit, cùm illorum mater, horum verò noverca sit. Sic terra suarum quidem herbarum mater est; earum tamen, quas agricola ipsi aleandas tradidit, noverca. Deinde cùm ipse Samiis consilium dedisset, ut Crœso, eorum libertati insidias tendenti, se opponerent; hoc consilio à Crœso cognito, ipsum accersiri jussit: quem loquentem admiratus, & magni semper fecit, & in deliciis habuit. Tunc Æsopus suas Fabulas conscripsit, quibus Moralem Philosophiam, melius quām cæteri, docere homines studuit, ac Crœso dicavit. Has deinde Fabulas Socrates in metrum eleganter rededit, quarum Plato, Plutarchus, & Laërtius meminere. Plato etiam in sua Rep. Fabulis Æsopi locum dedit. Quæ autem nunc sub Æsopi nomine circumferuntur Fabulæ, à Planude conscriptæ dicuntur, à quo etiam Vita, sed fabulosa magis, quām vera, scripta est: Historia tamen, & operis inventa, Æsopi sunt; ut notatur in Morery Supp. Plutarchus refert, Æsopum à Crœso missum ad Periandrum, Corinthi tyrannum; ac Solonem in Crœsi aula agnovisse; ac tandem à Delphis necatum, sive quia eos in Fabulis ludibrio habuit; vel quoniam pecuniam, quam Crœsus Oraculo exhibendam ei dederat, Crœso remiserat. Sed cùm gravi peste ad Æsopi necis ultionem Delphi affligerent, consulto Oraculo, quomodo à peste liberarentur, & responso accepto, ut Æsopi manibus litarent, ei Pyramidem exererunt; quod Athenienses etiam fecerunt. Vide Maziriacum in ejus Vita, rectius, quām alia unquam, concinnata.

## C A P U T I I.

*De iis, qui Sapientes dicebantur:*

Perulgatum nimis jam illud est, quod Laërt. lib. 5. & Val. Max. 4. 1. habent de Tripode ( sive Phiala, sive aurea Mensa ex aliorum sententia fuerit, ut cit. Laërt. ib. refert ) illo, quem Jonici ex Apollinis Delphici oraculo Græcorum Sapientissimo donabant. Qui Thaleti ( Theophrastus tamen Bianti primum datum fuisse refert ) concessus, ab eo Bianti missus, & ab hoc rursus ad alium, & sic per singulos Græciæ Sapientes factum est, donec Thaleti rursus traditus est; qui Tripodem ad se reversum Apollini Didymæo misit cum hac inscriptione: *Thales, Examii filius, Milesius Apollini Delphico Græcorum hoc præmium bis natus dicat.* Hæc communior, & vulgata magis de Tripode fama est, quam præter cit. Laërt. & Val. confirmat etiam Plutarchus in Vita Solonis, etiamsi aliis alia de hoc Sapientum præmio, & de ipsius traditione sententia sit.

Qui Sapientis nomen primum apud Græcos obtinuerunt, & Tripodis honore digni habitu sunt, septem à Laërtio numerantur; Primus Thales Milesius, secundus Pittacus Mitylenæus, tertius Bias Prienensis, quartus Solon Atheniensis, quintus Cleobulus Lindius, sextus Myson Chenæus, septimus Chilon Lacedæmonius. De his tamen in hac non Mythicæ Græcorum Philosophiæ Historia verba facturus, Thaletem consulto prætermittere; de ipso enim, qui Jonicæ sectæ caput est, paullò infra, ubi de Jonica secta agam, sermo erit. Hunc sequitur

## P I T T A C U S.

Patriam Mitylenem, Lesbi Metropolim, Patrem Caicum, vel potius, ut Suidas habet, Cyrrhadium, Matrem Lesbiam nomine sortitus est Olympiade 32. vel, ex Laërtio, 42. Melanchrum Lesbi, & Mitylene Tyrannum interemit: quo facinore illustris magis redditus, à Mitylenæis Imperator factus, Atheniensibus, de Agri Achillitidis possessione cum Mitylenæis decertantibus, cum classe bellum intulit. Variam in hoc bello fortunam expertus, tandem Phrynonem Atheniensium Ducem, corporis mole, & robore præstantem, ad singulare certamen provocatum piscatorio rete, quod clypeo tegebat, involutum, tridente, & hasta interemit, & agrum diu controversum civibus suis servavit. Ex hoc Pittaci stratagemate Romani Gladiatores exemplum sumfere, qui Retiarii appellabantur, quosque Lipsius Saturnal. II. 8. describit, ut observant Festus verbo Retiarii, & Polyænus Stratagem. I. 25. Hujus vero belli finem lege apud Strab. & Laërt. Agro demum Achillitide à Mitylenæis recuperato, ipsum cives Pittaco obtulerunt, ut de agro sibi, quantum vellet, acciperet. At ille, conjecta hasta, tantumdem accepit, quantum illa esset emetita, quod Apollini dicavit, ætate Plutarchi, & Laërtii Pittacium adhuc appellatum.

Mitylenæis decem annos præfuit, quandiu scilicet, ut notat Val. Max. bellum de agro Achillitide cum Atheniensibus duravit: ubi enim pax per victoriæ parta, à Mitylenæis imperium deponere coactus est, ne civium dominus, ultra quam necessitas exegerat, permaneret. Alios decem annos privatam vitam egit. Reipublicæ dum præcesset, varias fecit leges; quarum unam Cic. 2. de Leg. c. 26. memorat, qua vetavit, *Quemquam accedere ad funus aliorum:* alia ab Ari-

Aristotele, & Laërtio refertur: *Ebrius duplii pœna, dum peccat, afficiendus, non ebrius una; eo quod Mitylenes Insula vino abundabat. Corpus saepe exercitabat molendo triticum, hanc cantilenam ἐπιμύλιον dictam canens: Mole δὲ mola mole, nam Pittacus, qui Mitylenæis imperat, molit.* Senex, ut belli dux esset, coactus, respondit: *Quam molestum est, virum probum esse.* Crœsum, bellum Insulanis suis civibus parantem, eloquentia sua è sententia dimovit. Herod. tamen lib. i. p. 4. id Bianti tribuit factum. Uxor, quia generis nobilitate ipsum excellebat, superbam nimis se ei præbebat; quæ cum novisset, Pittacum hospites convivio suscepisse, irata superveniens mensam subvertit; tunc Pittacus Convivis ex facto perturbatis ait: *Unicuique vestrum est malit aliquid, felicissimus is, cui hoc tantum.* Crœso ad se pecuniam mittente, accipere noluit, duplo plura quam vellet, se habere testatus. Vixit annos plus septuaginta, ex Suida octoginta, & mortuus est an. 3. Olymp. 52. Ejus sepulcro sequens Epitaphium inscriptum Laërtius notat:

*Condidit hoc tumulo lacrymis te, Pittace, Lesbos*

*Sacra suis, obitu languida facta tuo.*

Selectiora Pittaci Apophthegmata ex Laërtio: *Necessitati ne Deos quidem relaturi. Principatum virum declarare. Optimum id est, quod in præsentia occurrit bene agere. Quid maxime gratum? Tempus. Prudentium virorum esse, priusquam adversa contingant, providere ne evenient: fortium verò, cum illa contigerint, æquo animo ferre. Adolescenti ipsum de ducenda uxore consulenti respondit, Tu tibi sume parem.* De quo extat Epigramma apud Callimachum l. r. Ep. p. 180. & Æschyli versus ad idem alludentes v. 886.

Moralia Pittaci præcepta hæc à Demetrio Phalereo traduntur: *Nosce tempus opportunum. Quod facturus es, ne prædixeris; frustratus enim spe irrideberis. Amicis utere. Quæ ægre fers in proximo, ea ipse ne feceris. Infortunato ne quid exprobres; his enim Deorum incumbit Nemesis. Deposita redde. Sustine parvas, quas proximi intulerint, molestias. Ama proximum: Si parum tibi decedat, non statim amico convicieris, neque inimicobene preceris, hoc enim rationi adversatur. Difficile est prospicere futura. Quod præterit, certum est, futurum vero obscurum. Fida est Terra, infidum Mare, inexpleibile lucrum. Honestatem acquire. Obsequium quære. Amato disciplinam, temperantiam, prudentiam, veritatem, fidem, experientiam, dexteritatem, societatem, diligentiam, æconomiam, artem, pietatem.* Ausonius in Sent. 7. Sap. alia ipsi tribuit, quorum primum est: *Loqui ignorabit, qui tacere nesciet, & reliqua, quæ apud cit. Autorem.*

Pittaci scripta hæc à Laërtio c. 78. numerantur: *A' idōueva;* Elegi ad sexcentos versus, & soluta oratione; de Legibus ad Cives; Epistolas, quarum una ad Crœsum servata est.

### B I A S.

**P**riene natus est ex patre Tutami. Pauper, an dives vixerit, dubium apud multos. Duplii stratagemate Alyattem delusit, dum Pirenem obsideret; & primo quidem duos mulos ex arte saginatos è civitate in castra expellendo: secundo nunciis Alyattes ad pacem ineundam in civitatem missis ostendendo magnos arenæ acervos, frumentis coopertos; ex quibus admiratione affecti nunci ut id Alyatti retulerunt, hic pacis magis cupidus Biantem ad se venire mandavit, qui respondit: *Equidem Alyatten cepas edere (hoc est flere) jubeo.* Interrogatus, cur omnibus suis concivibus, Prienem, hostibus obfessam, fagientibus, pretiosaque omnia secum portantibus, ipse solus nil boni reducens

fu-

fugeret, respondit: *Ego vero bona mea mecum porto; Sapientiam notans.* Refert Plut. Symp. 7. Sap. p. 146. Amasis Ægyptiorum Regem, quicun Bianti amicitia erat, victimam ei misisse, ex qua exemptam partem pessimam simul & optimam ad se mitteret: cui Bias linguam misit; quod factum illi apud Regem magnam peperit gloriam. Idem Amasis, referente cit. Plut. 16. p. 151. epistolam ei misit, qua eum rogabat, ut propositum sibi ab Æthiopum Rege quæsum solveret, quod est: *Ut mare ebiberet, cujus solutionis merces urbes, & oppida multa proposita, si mare totum ebibere posset; cui Bias: Jubeat Amasis, Æthiopum Regem fluvios in mare decurrentes detinere, donec illud, quod nunc est, biberit Amasis, nam id tantum, quod nunc est mare, ut ebibat posciatur, non id, quod postea erit.*

Ex Apophlegmatis à Laërtio relatis selectiora sunt: *Quid difficile? ferre mutationem rerum in deterius? Quid dulce hominibus? Spes.* Malle, dicebat, se inter inimicos, quam amicos judicare; quippe ex amicis alterum futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum. Ita vivendum esse, quasi & diu, & parum victuri simus. Ita amandum, quasi odio simus habituri, caute amicitiam colendo, ut quæ in inimicitiam verti possit. Refert Gell. 5. 11. eum à quodam interrogatum, deberetne uxorem ducere? aut pulcrum, respondisse, habebitis, aut deformem: si pulcrum ducas, habebis nebulos, communem; si deformem, habebis nebulos, paenam.

Auson. Sap. Sent. p. 110. alias quoque ipsi sententias tribuit, quarum præcipuae sunt:

*Quænam summa boni? mens quæ sibi conscientia recti.*

*Quis dives? qui nil cupiat. Quis pauper? avarus.*

*Quod prudentis opus? cum possit, nolle nocere.*

*Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere.*

Ex moralibus Biantis præceptis, quæ ex Demetr. Phal. Stob. serm. 3. p. 46. refert, præcipua sunt: *Si pulcher tibi videaris, pulcra facito, sin deformis, naturæ defectum morum pulcritudine pensato. Celeritas in loquendo odio habenda. Audi multa, loquere tempestiva. Suadendo, non cogendo, impera &c.*

Summus Orator erat; hinc Hipponax: *Biante Priennensi causas egit præstantius.* Mortuus proœcta Senectute hoc modo traditur à Laërt. 1. 84. Postquam diu perorasset, caput in sinu nepotis ex filia fessus reclinavit; finita adversarii concione, ubi eum excitassent, mortuum in nepotis sinu invenerunt; quem civitas magnifice sepelivit, tumuloque hæc inscripsit:

*Petra Prienæum tegit hæc bene culta Biantem,*

*Ornamentum ingens qui fuit Ioniis.*

Ad duo millia versuum de Ionia scripsit, quomodo felix esse possit.

### S O L O N.

**S**Alamine, ex Laërtio 1. 46. nobili genere natus est ex Patre, ut Philocles à Didymo allegatus vult, Euphorione, vel, ex reliquis scriptoribus omnibus, Execestide; hinc morti proximus Salamina corpus suum deportandum cupiit: ex parentibus tamen, & domicilii loco Atheniensis dictus est. Ex patris liberalitate pauperie afflictus, mercaturæ, ut quidam volunt, operam dedit, sive potius, ut ex aliis, ad acquirendam sapientiam peregre profectus est. Et quidem 47. Olympiade postquam aliquamdiu secum Anacharsidem domi detinuissest, & secum multa philosophatus esset, legibus Athenis præscriptis, & venia ab Atheniensibus impetrata, ut sibi abesse decennio liceret, primò Ægyptum petiit, ubi cum Psenophe Sacerdotum tunc temporis literatissimo philoso-

phabatur. Sacerdotum antiquissimus Soloni de antiquitatibus percontanti respondere solebat: *O Solon, Solon, semper pueri Græci, Senex Græcorum est nullus.* Miletum quoque ad Thaletem se contulit, qui, ut habet Plut. Sol. p. 81. lepide eum decepit, ficto nuncio de Solonis filio Athenis mortuo, quem cum illacrymaretur Solon, quidam ei dicebant, ut referunt Laërt. 1. 83. & Stob. serm. 121. *At nihil proficis.* Quibus ipse: *At propter hoc ipsum illacrymor, quia nihil proficio.* Reliquos Sapientes Delphis convenit, ex Laërt. 1. 40. & Plut. Sol. p. 80. Lydiam, Ciliciam, Cretam quoque Epimenidis amore lustravit; imò ab omnibus Sapientibus in suam cujusque domum, & à Croeso ipso invitatus est, & à Pisistrato Athenarum Tyranno per epistolam ad ipsum missam regatus, ut Athenas rediret, quod facere renuit.

*Solonis viventis, & mortui summa gloria extitit, cui supremi honores non fuere denegati, quod fortitudinis suæ monumentum Megarensē trophyum, sapientiae vero, Salaminis recuperationem statuisset.* Demosth. Orat. de Fals. leg. p. 233. Solonis enim consiliis Salamine, aliæque Urbes in Atheniensium potestatem pervenerunt. Ipsi enim ab Atheniensibus indicto bello, & Solone belli Imperatore constituto, de Salamine, aliisque victoria reportata est. Inde sedatis in Patria seditionibus anno 3. Olymp. 46. Archontis dignitatem obtinuit. Archon dum esset, ex Laërt. 1. 45. & Plut. Sol. p. 86. primū Σευτάχθεα introduxit, corporum scilicet, possessionumque redemtionem; sive Legem, ut Hesych. definit, *qua publice, privatimque contradictum æs remittebatur;* quæ ita appellata est ab excussa usurarum iniuitate; eo enim tempore super corporibus etiam fenerabantur; multique per inopiam mercede serviebant.

Deinde Reip. conditor, & Legislator, omni, absolutaque autoritate ipsi tradita, populum in Clases divisit: magistratus, & judicia instituit. Republica sic constituta, curiisque ordinatis, leges condidit æquissimas omnibus, & adeo mirabiles, ut Romani legatos Athenas miserint, teste Liv. 1. 3. c. 31. Sp. Postumium Album, A. Manlium, P. Sulpitium Camerinum, jussarentque inclitas Solonis leges describere. Has ex Solonis libris translatas 12. tabulis Decemviri exposuere. Hinc optime Ammian. Marcell. 1. 22. 16. ait: *Solon sententiis adjutus Ægypti Sacerdotum, latis justo moderamine legibus, Romano quoque juri maximum addidit firmamentum.* Ejus leges fuse nimis apud Laërt. Plut. Meurs. aliosque legere est, quibus æternam sibi famam Solon comparavit.

Tandem anno primo Olympiadis 56. ex Plut. Laërt. Suid. aliisque, in Cypro insula mortuus est annos natus 80. ut ex Laërt. vel 100. ut ex Luciano, suis mandans, ut ossa sua Salamina transferrent, & in pulverem redacta per totam Provinciam disseminarent. Ipsi jam mortuo Athenenses statuam æneam erexere in portico, quam Variam vocant; aliam in Salamine, cui inscriptum, teste Laërtio, fuit:

*Quæ dudum insanæ Medorum propulit iras,  
Legiferum Salamis pulcra Solona parit.*

Philosophus, Poëta, & Orator insignis fuit: imò Cicero Brut. c. 7. docet, neminem ante ipsum eloquentia celebratum fuisse: & de Orat. 1. 13. Lycurgum, & Solonem in numero eloquentium posuit. Et Aristides Or. Plat. 2. t. 3. p. 461. *Oratoria utebatur dicendi forma, in omnibus iis egregie demonstrans, & Oratoris, & Philosophi existimationem sese mereri, utramque istam facultatem, utrumque titulum asecutus.* Plutarchus tamen hæc habet in Solone: *Ex Philosophia Ethica, præcipue Politica, sicut plerique sapientum, est seclatus. In Physicis mire est simplex, & antiquarius.* Scripsit Leges, quas, teste Plut. Sol. p. 80. aliqui eum in versus redegisse dicunt: Elegias, & alia Poëmata: Epistles

las quoque, quæ omnia apud citatos Laërt. Plut. Meurs. aliosque videre est.

Solon, teste Laërt. 1. 22. inter septem Sapientes Olymp 49. numeratus est propter insignem vitæ virtutem, & moralia bene vivendi præcepta. Inter Solonis Apophthegmata, quæ à Laërtio, Plutarcho, aliisque traduntur, hæc sunt præcipua: *Sermo imago est operis: Leges aranearum telis simillimæ; illis quippe si quid leve, & imbecillum inciderit, involvi ab eis, atque contegi; si quid majus, atque gravius, perrumpi, ac perire: Rempublicam duabus rebus contineri, præmio, & pæna.* Inter pocula tacitus existens interrogatus à Periandro, an propter verborum inopiam, an ob stultitiam taceret, respondit: *Atqui stultus nemo inter pocula tacere potest.* Moralia ejus præcepta præcipua sunt: *Ne quid nimis. Ne judex sedeas; fin autem, damnato inimicus fies. Volutatem fuge, parit enim tristitiam. Serva morum probitatem, vel jurejuringo dignorem. Sermonem quidem silentio obsigna; silentium tempore opportuno. Amicos non citò comparabis; quos vero comparaveris, non statim rejicies. Cùm regi didiceris, regere scies. Quod videris, ne dixeris. Sciens taceto. Ignota ex notis conjice &c.* Ejus Symbolum juxta Laërtium, & Didymum: *Ne quid nimis. Juxta Ausonium: Nosce te ipsum.*

### C L E O B U L U S.

**L**indi, quod est Rhodi Oppidum, natus est ex patre Evagora. Duris tamen, ipsum ex Caria fluuisse, testatur. Genus ab Hercule ducens, forma, corporis viribus, & Sapientia coævos omnes superabat, teste Suidæ in Cleobulo. Tyrannus Lindiorum fuit, ex Plut. Templumque Minervæ, à Danao olim fundatum, restauravit.

De Eumetidis Cleobuli filiæ virtutibus, quæ de Patris nomine vulgo Cleobulina appellabatur, mira memorantur à Laërtio 1. 89. & Plut. in Conv. 7. Sap. p. 148. Hæc enim ob sapientiam suam, & acumen Ænigmatum, Hexametros, & Ænigmata componebat, ad Ægyptum usque proiecta. Ingenium ipsi civili prudentia præditum, animusque sublimis erat, & humanus. Ejus etiam Gratinus meminit in Comœdia, quæ Cleobulus inscribitur.

Senex obiit anno 70. ex Laërt. 1. 93. ejus tumulo inscriptum:

*Extinctum luget Cleobulum patria Lindus,  
Patria, quæ medio est undique cincta mari.*

Scripsit Carmina, & grifos ad 3000. versuum, in quibus hoc Ænigma de anno:

*Est genitor, proles cui sit bissena, sed horum  
Cuivis sunt natæ triginta, ast disparsæ forma.  
Hac niveis penitus, fuscis sed vultibus illac.  
Atque immortales cum sint, moriuntur ad usum.*

Exstat & ejus Epistola ad Solonem. Vid. Laërt. in Cleob.

Ex Cleobuli sententiis, & præceptis ad mores spectantibus, hæc ex Laërt. 1. 91. Plut. Symp. 7. Sap. p. 153. & Stob. Serm. 3. potiora sunt: *Inanis, & ingratis ne sis. Filias nuptui locari oportet ætate virgines, sed prudentia, & sensu mulieres. Amicum beneficiis cole, ut amicior sit, inimicum, ut amicum facias; cavendæ enim sunt reprehensiones amicorum, & inimicorum insidiæ fugiendæ. Antequam domo quis exeat, quid acturus sit, apud se pertractet, rursum, cum redierit, quid egerit, recogitet. Beatus princeps, qui familiarium nemini fudit. Modus optimus (quod Symbolum habuit). Audiendi magis, quam loquendi studiosum esse oportet. Lingua ut benedicat assuefacienda. Linguam fræna. Per vim nibil age. Liberos institue. Inimicitias solve. Uxori neque*

ira-

irascere , neque blandire , præsentibus aliis , hoc enim stulti , illud insani est . Famulos ebrios ne castiges , ne & ipse ebrius videaris . Aequalem ducas uxorem , ne meliorem ducens , Dominos tibi compares pro affinibus . Dives superbus , Pauper abjectus esse noli . Felix criminibus nullus erit diu . Ignoscas aliis multa , nibil tibi &c.

## M Y S O N.

**S**Trymonis filius fuit , teste Hermippo , patria Cheneus ex Vico Oetæo , si-  
ve Laconico . Fertur Anacharsis , oraculum ubi consuluisse , quis se sapien-  
tior esset , responsum tulisse , Mysonem Oetæum sapientiorem ipso esse . Un-  
de Anacharsis ad ipsum visendum se contulit , quem Æstate stivam aratro  
aptantem invenit , cui dixit : Atqui , o Myson , nondum aratro vacandi nunc  
tempus est . Cui Myson : Tempus tamen , ut ad illud nos componamus . Myso-  
nis meminit etiam Hippoanax dicens : Et Myso , quem virorum sapientissimum  
Apollo prædicavit . Hominum osor , ut refert Aristoxenus , non secus ac Timon ,  
& Apemantus , cum esset , Lacedæmone in loca deserta se subduxit . Eum  
inter 7. Sapientes multi cum Laërtio ponunt , inter quos Plato , qui Periandri  
locum ipsi tribuit . Morales Mysonis sententias multi Pisistrato adscribunt . Præ-  
cipua Mysonis sententia traditur hæc : Non ex verbis res , sed ex rebus verba  
esse inquirenda . Defunctus traditur anno ætatis suæ nonagesimo septimo .

## C H I L O.

**C**Hilonem Lacedæmonium ex Patre Damageto ( qui corrupte à Stobæo Pa-  
ges appellatur ) natum , circa Olymp. 52. floruisse testatur Laërt. 1. 72.  
quo tempore Æsopus Fabularum scriptor vixit . Ephorus , qui Latinis Inspector  
diceretur , fuit Olymp. 56. ex eodem Laërt. 1. 68. Ephoria Magistratus erat  
apud Lacedæmonios correspondens Trib. Pleb. Romanorum . Justitiam in om-  
nibus sic excoluit , ut jam senex morti proximus , teste Laërt. 1. 71. & A. Gell.  
N. A. 1. 3. dixerit , sibi conscientia haud esse , quod in tota vita præter rationem  
egerit quicquam ; una tamen re aliquantum moveri , quod amicum , contra le-  
gem , capite non damnaverit , sed aliquo modo fecisse , ut legem , & amicum  
servaret .

Sententiæ , & Præcepta Moralia præcipua sunt : Difficile est arcana retice-  
re , otium recte dispensare , & injurias tolerare posse : Optimam esse Republi-  
cam , in qua maximè leges , minime oratores audiantur : Nosce teipsum : Inter  
pocula non multum loquere ; delinques enim : Ad amicorum convivia tardus ac-  
cedas , cito ad calamitates : Rerum ad se nibil pertinentium curiosum odio ha-  
beto : Jaclura turpi lucro præferenda , nam id semel tantum dolori est , hoc  
semper : Fac , ne lingua tibi mentem præcurrat : Comitem alieni æris , atque  
litis esse miseriam : Lydius lapis probat aurum , aurum vero mentis præstan-  
tiam : Æsopum interreganti Chiloni quid faceret Jupiter , ille respondit : Ex-  
celsum humiliat , humilem extollit . Hæc ex Laërt. Plut. Stob. Plin. Hist. N.  
& Gellio excerpta .

Mortuus est , teste Laërtio 1. 72. Pisæ , dum filium amplexaretur ex Olymp.  
ludis victorem in cæstuum certamine factum ; ibique honorificentissime sepul-  
tus , ejusque imagini hæc addita inscriptio est :

Hic Sapiens fortis natus Lacedæmone Chilon,

E numero septem maximus unus erat .

In loquendo brevis . Scripsit Elegiam ad versus circiter ducentos , & Epistolam .

Sed antequam de Græcorum Philosophorum Sectis agamus, de aliis, qui præter hos septem à Græcis & dicti, & habiti sunt Sapientes, Sermo instituendus est.

## P E R I A N D E R.

**C**YPSelo, Corinthi Tyranno, natus est, matre Cratea. Periander in Tyrannide Patri successit; atque in ipso familiæ suæ regnum desit. Natus est, teste Laërt. 1. 95. postremo anno Olymp. 29. Regnare cœpit anno quarto Olymp. 37. regnavitque annis 44. ex Arist. Polit. 5. 12. Quomodo autem Cypselus ortus sit, & regno potitus, lege apud Herod. 1. 5. p. 202.

Sapientibus additus non tam propter sapientiam, quæ illi non magna fuit, quam propter potentiam, & amicitiam, quam cum Sapientibus colebat; ipsos enim semel ad se accersitos in Conclavi amplissimo, conviviisque solemnibus dicato, humanissime exceperat, ac quibusdam moralibus sententiis prolati, Sapiens videri potius voluit, quam esse. Quæ ab aliis reliquorum sententiis quia non differunt, meritò prætermittuntur. Præter has sententias scripsit, ex Laërtio 1. 97. Admonitiones ad duomillia versuum.

Barbarum, & scelestum se geslit in subditos, in uxorem etiam Lysidem nomine, atque ab ipso Melissam appellatam, quam prægnantem interemit; & in filium, quem propriis laribus ejectum, & exulem patria in Corcyra peremptum testantur Herod. 1. 3. p. 114. & seq. & Laërt. 1. 95. Tandem mortuus est anno ultimo Olymp. 48. ætatis vero suæ anno 80. à suis, ipso sic mandante, necatus. Laërt. ib.

## E P I M E N I D E S.

**C**Retensem, & proprie Gnoſſium eum facit Laërt. 1. 109. Phæſtum natalem ejus urbem fuisse credit Strabo 1. 10. p. 479. De parentum nomine quæſtio est apud autores. Laërt. 1. c. narrat, eum adhuc juvenem ex perditæ ovis investigatione fessum in spelunca obdormisse annos, juxta Theopompum 57. juxta Varro, Plutarchum, & Tertullianum, 50. juxta Pausaniam 40. experrectumque ovem perditam iterum quæſivisse, suorum multis jam defunctis, multis vero senibus inventis. Sunt tamen, ex eodem Laërt. 1. 112. qui eum in spelunca non dormivisse, sed tot annos in plantarum radicibus effodiendis in solitudine impendisse.

Primus fertur domos, & agros carmine expiasse. Quamobrem Athenienses Olymp. 46. peste afflicti, & ab Oraculo edocti, ut urbem lustrarent, Epimenidem è Creta advocarunt, qui pestem hac expiatione compescuit: Summis ovibus albo, ac nigro vellere, & in Areopagum actis, illas libere quod vellent ire permisit, viris, qui illas libere sic errantes sequebantur, mandans, ut ubique accubuisserent, ibi eas illius loci Deo mactarent; quo facto lues quievit. Unde & Laërtii etiam tempore Aræ per Atheniensium pagos sine nomine inspiciebantur in ejus, quæ tunc facta est, expiationis memoriam.

Ex hoc benefacto Atheniensibus præstito, magno semper in honore apud ipsos fuit, qui, præter alia dona, talentum, & navim, qua domum rediret, ei decrevere; ipse vero donis omnibus repudiatis, tantum sacræ oleæ surculum ex arce sumtum accepit, quem manu tenens, federe inter Athenienses, & Cretenses Gnoſſios conciliato, domum rediit, ac paullo post mortuus est annum agens 157. ex Laërtio, vel 150. ex Apollonio. Cretenses eum annos 299. vivisse jaſtant. Xenophanes eum se audivisse ait annos natum 154.

Tem-

Templa condidisse primus creditur. Prædictionibus, quas Cretensibus, Atheniensibus, & Lacedæmoniis fecit, clarus, ac celebris ita fuit, ut Cretenses illi sacrificia tanquam Deo obtulerint, ex Plut. in Sol. & Græci eum Divinum, Deoque carissimum existimaverint, & in Sapientum suorum numerum retulerint, ex Laërtio l.c. & Plat. de Leg. 2. p. 642. Imo eum Paulus etiam Apostolus Cretensem Prophetam appellavit in Ep. ad Tit. 2. c. 2. dum inquit: *Dixit quidam ex ipsis proprius Propheta: Cretenses semper mendaces; malæ beffie; ventres pigri.* Vid. Hieron. in Ep. Pauli.

Multa scriptit prosa oratione, & metrica, Mysteria scilicet, Lustrationes, & Ænigmatica, Curetum, & Corybantum generationem, Theogoniam, Argus fabricam, & Jasonis in Colchos expeditionem, de Sacrificiis, de Rep. Cretensium, de Minoë, & Rhadamantho, & de Oraculis, & Responsis. Extat quoque ejus una, vel altera Epistola ad Solonem, qui ad leges conscribendas ejus doctrina usus est, teste Plut.

### P H E R E C Y D E S.

**I**N Syro, vel ut alii malunt, Scyro insula Olymp. 46. ex Suida, vel 59. ut ex Laërtio 1. 116. natus est. Cic. ad Servii Tullii ætatem refert 1. Tusc. dum ait de Pherecyde loquens: *Antiquus sane: fuit enim meo regnante gentili.* Multi eum *autodidaxtor*, à se ipso edoculum faciunt; comparatis scilicet arcanis Phœnicum libris; teste Suida; alii Pittaci discipulum tradunt. Hic, non tamen ex divina virtute, sed ex naturalium rerum scientia, multa prædixisse fertur, quæ maximam illi gloriam compararunt, ut Cic. 1. de Div. ait. Præcipua autem hæc ex Laërtio l. c. habemus: Aquam à discipulorum quodam petiit; quam ut è puto haustam biberit: terræ motum post diem tertium futurum prædixit; quod sic evenit: Samum ad Junonis templum profectus, navem plenis velis portum subeuntem videns, adstantibus dixit, ipsam intra portum non perventuram; ipso autem adhuc loquente, tempestas subito orta navem perdidit. Perilao hospiti suo suafit, ut cum tota familia domo migraret; quo consilio à Perilao neglecto, paullo post capta ab hostibus sua patria Messana fuit.

Hic omnium primus animorum immortalitatem statuit, ex Cic. in Tusc. l. c. his verbis: *Sed, quod literis extet, Pherecydes Syrus primum dixit animos hominum esse sempiternos.* Clem. Alex. 6. Strom. notat, quod quæcumque Pherecydes allegorice in sua Theologia dixit, è Chami Prophetia desumpta fuerint. Pythagoræ præceptor fuit. Aquam cum Thalete rerum omnium principium dixit. Primus etiam soluta oratione scripsisse traditur ab Apul. in Flor. Philosophus, & poëta Tragicus dictus à Strab. 1. 10. Mortuus est φρεγγωτη, hoc est, pediculari morbo confectus, ut ait Ælian. Var. Hist. 4. 28. Plin. 1. 7. & communiter fere omnes. *Quod sic optime his versibus Q. Seren. expressit:*

*Sed quis non paveat Pherecydis fata tragædi,  
Qui nimio sudore fluens, animalia tetra  
Eduxit, turpi miserum, quæ morte tulerunt.*

Septem Sapientum ætate floruit, quibus à multis adnumeratus est. Plura qui cupit, adeat Laërtium l. c. Suidam in Pherecyde, aliquoisque.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ  
C A P U T I I I.

*De Secta Ionica.*

**Q**Uæ in vastissimo Græciæ Imperio floruere Philosophorum Sectæ, duæ à Laërtio in Procœmio numerantur, Ionica scilicet, & Italica; quam dein de sententiam omnes historici secuti sunt. Verum quamvis certum sit, eas initio duas fuisse, postea tamen in plures adhuc divisæ sunt; itaut Vossius eas usque ad duodeviginti Sectas numeret; Ionicam scilicet, Italicam, Eleaticam, Epicuream, Cyrenaicam, Eliacam, Megaricam, Academiam Veterem, Academiam Secundam, Academiam Tertiam, Peripateticam, Academiam Quartam, Platonicos Juniores, Academiam Quintam, Cynicam, Stoicam, Pyrrhoniam, & Potamoniam.

Nos igitur hac in re communem ordinem sequentes, de Singularum Græcanicæ Philosophiæ Sectarum Institutoribus, eorumque successoribus agemus, ac brevissimis verbis optima quæque, & potiora, quæ de eorum vita, moribus, & doctrina ab antiquis, & recentioribus Selectissimis Philosophiæ Historiæ scriptoribus sparsim notata invenimus, in Epitomen redacta trademus.

Ionicam Sectam à Thalete, qui ex Ionia erat, ortum duxisse, omnes fere confessi sunt. Ex hac autem omnes deinde Græcorum Sectæ originem habuerunt. Jure igitur Philosophiæ, Scientiarumque omnium apud Græcos, ex quibus ad nos, autor extitisse fertur

T H A L E S.

**D**E ejus patria quæstio est apud autores. Laërtius 1. 22. hæc habet: *Thales, ut Herodotus, Thuris, ac Democritus ajunt, patre Examio, matre Cleobulina natus est ex Thelidarum familia, qui, Phœnicum nobilissimi, à Cadmo, & Agenore originem ducunt, Platone quoque teste. Et paullò post: Sed, ut pluribus visum, indigena Milesius, & claro genere natus est. Et Clem. Al. 1. Str. p. 300. Quinetiam Thales, ut referunt Leander, & Herodotus, erat Phœnix: ut autem nonnulli existimarunt, Milesius. Natus dicitur, Apollodoro in Chron. teste, anno 2. Olymp. 35. Milesium tamen cum Plutarcho omnes fere fatentur; quod confirmat Hermippus apud Laërt. 1. 33. qui refert, Thaletem gratias fortunæ egisse, quod Græcus natus esset, non Barbarus.*

Thaletem multi *A'utodidaxw* faciunt. Verum, ut ex ipsius Thaleatis epistolis colligitur, ipse ad Philosophiam, & Mathematicas potissimum disciplinas addiscendas, Cretam, Phœniciam, & Ægyptum peragravit; ubi à Sacerdotibus Memphis, ut testatur Jambl. in Vit. Pythag. eruditus, Philosophiam, & Geometriam, Laërtio, & Plutarcho testibus, didicit.

Mileti privatam vitam agens, & in cœlibatu vivens, urgenti matri, ut nuptias iniret, respondit, non dum tempestivum esse. In senectutem vero ætate inclinante, matri acrius in id insistenti respondit, jam intempestivum esse. Quomodo autem Thales Solonem, Mileti apud se degentem, & mirantem, quod ipse connubium negligeret, ficto nuncio de Solonis filii morte, deluderet, lege apud Plut. in Vit. Solon. p. 81. Sapientis titulum non ob solas morales sententias, & vitæ integritatem, sicut & cæteri Sapientes, obtinuit, sed ob magnos in scientiis, quas Contemplativas vocant, profectus, uti observant Plut. in Vit. Solon. p. 80. & Divus August. de Civ. D. 8. 2.

Hæc de Thaleatis Philosophiæ præstantia Scriptorum testimonia habemus.

Laërt.

Laërt. I. 24. de Thalete ait: *Primus de Natura differuit, secundum nonnullos.* Cic. de Nat. Deor. 10. Thaletem primum de talibus rebus quæsivisse dixit; Strabo I. 14. p. 635. *Ante alios Græcos omnes caussas rerum naturalium, & Mathematica cum rimatum esse.* Plutarchus eum Philosophiæ Inventorem appellat; Justinus Martyr Philosophorum antiquissimum; Tertullianus Principem Physicorum; Lactantius demum primum, qui de caussis naturalibus quæsivit. Et Galen. Hist. Philos. hæc habet: *Constat igitur inter quamplurimos, Thaletem Milesium primum Philosophiam apud Jones invexisse: unde & ejus ætatis sapientiam omnes Jonicam appellantur.*

Thales igitur rerum materialium Principium, Αρχὴ, ex quo existant primo, & in quod resolvantur, Aquam statuit. Quam sententiam his potissimum probat argumentis, à Plut. de Plac. Phil. 3. & Stob. Ecl. Phys. 13. relatis. Semen animantium humidum est. Alimentum, plantarum præcipue, humiditate plenum est. Ipse solis, & stellarum ignis exhalationibus aqueis alitur, atque adeo ipse Mundus, &c. Imo & aquas Terræ motuum caussam esse dicebat, ex Laërtio; quibus aquis Orbis sustinetur, & tanquam grande navigium, ut ait Sen. Nat. Quæst. 6. 6. portatur. Fortasse autem Aquam rerum Principium esse Thales dicerat ab Ægyptiis, atque hi à Judæis. Moses enim in Gen. ait. *Spiritus Domini ferebatur super Aquas.* Et: *Producant Aquæ reptile.* Hujus etiam sententiae, præter Pindarum, qui cecinit: Αὕτη μὲν Τάσις, Optima quidem Aqua, Homerus fuit, qui dixit:

Ω'κέανος δ', ὅστερ γένεσις πάντας τέτυκται.

*Oceanus cunctis factus primordia rebus.*

Mundum Daemonum esse plenum dicebat, ut habet Stob. I. c. Aristot. de Anim. I. 8. Cic. de Leg. 2. 11. Laërt. atque alii. Quam sententiam Pythagoras quoque, & Plato, affirmante Plut. secuti sunt: sed omnes fortasse ab Ægyptiis acceperunt. Mundum etiam unicum dixit, pulcherrimum, ut qui à Deo factus sit. Animatum quoque Mundum asserebat, ipsiusque animam esse Deum per omnes ejus partes diffusum: in Mundo vacuum non dari: *Stellas esse terrestris substantiae, sed ignitas: Animam immortalem, atque αὐτοκίνητον,* hoc est, naturam seipsum moventem docuit.

Quoad Geometriam, Apul. in Florid. 4. Thaletem Geometriæ penes Græcos primum dixit inventorem. Et Proclus in Euclid. *Thales autem in Ægyptum delatus, primus inde hanc scientiam ad Græcos derivavit.* Hanc autem Geometriam ab Ægyptiis acceptam variis inventis, & propositionibus, Proclo, & Laërtio testantibus, auxit. Pyramidis altitudinem per ipsius umbram metiri primum instituit.

Sicut Geometriam ab Ægyptiis, ita & Astronomiam à Phœnicibus edocet, in Græciam primum invexit, & auxit. Sphæram Cœlestem Thales primus, deinde Pythagoras, & Successores, in quinque circulos, sive Zonas, ut Stob. refert ex Plut. de Plac. Philof. 2. 11. divisit. Duos libros, ex Laërtio I. 23. composuit de Conversionibus, & Æquinoctio, annique tempestates partitus est. Primus Ursæ minoris sidus invenit, eique Αρκτη nomen, ex Hygino Poëtic. Astron. c. 11. tribuit. Laërt. I. c. ex Eudemo in Hist. Astrol. refert, Thaletem, primum Eclipses prædictisse, quarum præcipua fuit, quæ accidit Lydis, & Medis bellum gerentibus. *Quam dies immutationem,* verba sunt Herod. I. 1. p. 19. *Thales Milesius Jonibus prædixerat, anno quoque, quo eventura ea esset, indicato.* Quod accidit circa Olymp. 50. Annuam periodum, Ægyptiis primum inventam, & 12. mensibus distinctam, Græcos docuit. Sideribus observandis nocte intentus in puteum cecidit, unde exire cupiens, querulus Thressam ancillam suam compellabat; cui illa respondit: an putas, ο Thales, cœlestia te posse affe-

assequi , qui vel ea , quæ ante pedes sunt tuos , ignoras ? Similiter & amici ei improperabant , quod hæc sterilia studia opibus anteponeret . Unde ille , ut refert Arist. Polit. 1. 11. Astrologiæ beneficio prænoscens , dum adhuc hyems esset , uberrimam fore olearum messem , dato pignore , omnia Miletii , & Chii oliveta parvo pretio emit ; ex quibus dato tempore multum lucri capiens , ostendit , quām facile Philosophis sit opes parare , si velint .

Celebriora Thaletis Apophthegmata sunt : *Quid Antiquissimum ? Deus ; initium enim non habet . Quid Maximum ? Locus , sive Spatium ; omnia enim Mundus , Mundum Spatium continet . Quid Pulcherrimum ? Mundus : quicquid enim concinne ordinatum , pars ejus est . Quid Sapientissimum ? Tempus ; omnia enim bucusque inventa detexit , detegetque invenienda . Quid Communissimum ? Spes ; nam & iis etiam relinquitur , quibus pereunt omnia . Quid Utilissimum ? Virtus ; nam ipsa , ut reliqua utilia sint , efficit . Quid Noxiū ? Vitium ; omnia namque bona corrumpit . Quid Potentissimum ? Necessitas ; sola namque hæc vincit nequit . Quid Facillimum ? Quod libenter quis facit , sive , quod naturæ est consentaneum . Hæc Amasi , Ægyptiorum Regi , cum Æthiopum Rege de Sapientia certanti scripsit . Plura addit Laërtius , Plutarchus , & Stobæus , ex quo antedicta retulimus . Potiora sunt : *Velocissimum mens est , nam per omnia discurrit . Nox die prior una . Difficile seipsum noscere . Felix qui corpore sanguis , fortuna locuples , animo non ignarus . Reliqua vid. apud cit. Autores.**

Moralia præcepta plurima à Stob. ex Dem. Phal. recensentur ; potissimum vero : *Sponsor si fias , noxa præsto est . Ne sis dives improbe . Qualia tu contuleris in parentes , talia à tuis liberis , cum senew fueris , exspecta . Ocioſus ne fueris , ne si locuples quidem fias . Domestica mala cela . Ne facias , quæ in aliis reprehendis . Ausonius p. 112. hæc Thaletis nomine metro exposuit :*

*Turpe quid ausurus , te , sine teste , time .*

*Vita perit , mortis gloria non moritur .*

*Quod facturus eris , dicere sustuleris .*

*Crux est , si metuas , vincere quod nequeas .*

*Quum vere objurgas , sic inimice juvas .*

*Quum falso laudas , tunc & amice noces .*

*Nil nimium satis est , ne sit & hoc nimium .*

Eius Symbolum apud Laërt. Γνῶθι σεαυτὸν , Nosce te ipsum : iuxta Didymum , & Hyginum ex Clem. Alex. 1. Strom. Sponsor fias , noxa præsto est . Fortunæ , ex Hermippo in Laërtio , gratias agebat ob hæc tria ; *Quod Homo , non brutum ; Quod vir , non mulier ; Quod Græcus , non Barbarus natus sit . Inter Thaletis ἀδόμενα hoc præcipuum : Non multa verba prudentis animi indicium sunt . Vid. Laërt.*

Multi putant , Thaletem nihil scripsisse , inter quos est Themistius Orat. 26. qui nec ipsum , nec ejus ætatis quempiam scripsisse affirmat , πρῶτον δὲ Αὐτοῖς μαρτυροῦν , ὡν ἵσμεν ἐπιλύων λόγον εἰς εὐεγγῆσαι περὶ φύσεως συγγενεραμμένων . Sed Divus August. de C. D. c. 11. ait , Thaletem , rerum naturas scrutatum , de Naturali Philosophia disseruisse , suaque disputationes , ut successores propagaret , literis mandavisse . Laërtius quoque ipsum de Astrologia nautica , de punctis Tropicis , & Äquinoctialibus tractatus concinnasse refert . Suidas metricum opus de Meteoris ipsi adscribit . Et Plutarchus in Lycурgo de Thalete hæc notat : *Habebatur hic poëta lyricus , atque bujus specie artis utebatur , revera præstantissimorum legislatorum implebat munus . Galenus de Humor. allegat Thaletis librum 2. περὶ αἰχῶν . Temporum suorum Historiam scripsit , si fides Joh. Antiocheno præstanda . Duæ tandem ejus extant Epistolæ apud Laërt. 1. 43. Quas tamen Epistolas , sicut & cæteras passim à Laërtio vel Thalæti , vel Soloni , vel Democrito adscri-*

adscriptas, falsitatis suspectas dicunt Huet. Dem. Evang. p. 77. & Jos. Scal. Epist. 306. atque alii.

Senex tandem mortuus est anno æt. suæ 90. ex Sosier. dum Olympicos ludos spectaret Olymp. 58. De cuius morte sic Laërt.

*Gymnicon adspiceret cum rursus agona, Thaletem  
Eleus traxit Jupiter è stadiis.*

*Hunc laudo, caelo proprius quod duxerit, ultra  
E terra astra senex cernere non poterat.*

Sepultus est in tenui Miletii agello, qualem ipse præscriperat, tu muloque inscriptum:

*Exiguus valde hic tumulus, verum astra Thaletis,  
Principis Astronomi, gloria summa tenet.*

Statua quoque ei erecta est, ex Laërt. I. 39. cum hac inscriptione:

*Hunc, quæ nutritivit, Milesia terra, Thaletem,  
Astronomum primi nominis ipsa tulit.*

### A N A X I M A N D E R.

**A**naximander Thaletis sodalis, & discipulus, patria Milesius, & in doctrina propaganda successor, Praxiadæ, vel ut alii legunt, Praxidami filius, natus est anno tertio Olymp. 42. ex Clem. Strom. I. Hic in rerum omnium Principio assignando à Præceptore secessit; Thales enim Aquam, ipse vero *Infinitum* rerum omnium statuit Principium. Hinc Cic. Acad. Qu. 4. 37. *Thales, qui omnia ex Aqua subsistere ajebat, Anaximandro hoc, populari, & sodali suo, non persuasit. Is enim Infinitatem naturæ dixit esse, à qua omnia gignerentur.* Ex hac igitur cuncta oriri, & in eam omnia desinere dicebat, ejusque partes moveri, & mutari, totum verò immutabile esse: infinitos generari mundos, qui tamen corrupti in *Infinitum* redeant. Hos verò infinitos mundos esse Deos nativos, longis intervallis orientes, & occidentes, asserebat, ex Cic. de Nat. D. I. 10. Plut. tam de Plac. Phil. I. 7. & Stob. Ecl. Phys. I. 1. ea de Cœlo, & Stellis dicta intelligunt. *Infinitum* igitur laudavit, & *Infinitati* Mentem præfecit.

Cœlum statuit calido, & frigido mistum; stellas vero centones aëris globos, ignis plenos, & flamas quadam ex parte exspirantes, & à circulis, & sphæris, quibus inhærent, agitari: Solem supremo loco collocavit, deinde Lunam, tum deinde fixas, & errantes posuit. Solis magnitudinem terræ æqualem putabat, sed ejus orbitam terra vicies octies, vel, ut Theodoretus ait, vicies sexies majorem; Lunæ tamen orbitam terra novendecuplo majorem dicebat, Solisque, & Lunæ Eclipsin ex obstructione meatuum, per quos lumen ad nos mittebant, procedere. Terram figura rotundam hic primus in universi centro locavit; terræ, marisque circuitum descripsit, sive tabulam Geographicam invenit; nec non Zodiaci Obliquitatis, Gnomonis, Solstitiorum, Æquinoctiorum, aliorumque inventor dicitur. Cic. I. de Div. 50. & Plin. Hist. N. 2. c. 79. referunt, Anaximandrum Lacedæmoniis suasse, ut, urbe, & tectis relictis, agros incolerent, quod terræ motus instaret: quod ita, ut prædixerat, evenit.

Ventum aëris fluxionem dixit, motis, vel colliquatis in eo partibus fluidissimis, & tenuissimis; reliqua vero Meteora à vento in densa nube comprehenso gigni. Vid. Seneca Nat. Qu. 2. 18. De hominis verò generatione ita sentiisse habemus ex Plut. Symp. I. 8. qu. 8. in piscium scilicet ventribus primum genitos fuisse homines, ibique nutritos, donec vires acquirerent majores, idoneaque fierent, qui suis prospicere necessitatibus possent; tum exclusos fuisse, ac terra

potitos. Prima denique animalia in humore nata esse, dicebat, corticibus contenta spinosis, adultiora autem facta in siccitatem descivisse, ruptaque cortice non multum temporis supervixisse. Vid. Plut. de Plac. Phil. 5. 19. Suid. in Anaximandro, Stob. aliique. Nonagenarius tandem anno 2. Olymp. 58. mortuus est.

## ANAXIMENES

**M**ilesius fuit, Eurystati filius, Anaximandri vero sodalis, discipulus, & successor. Floruit, juxta Suidam, Olymp. 55. juxta Eusebium Olymp. 56. Perperam autem Apollodorus natum putavit Olymp. 63. Parmenidis etiam discipulus à nonnullis creditus est; & Jonica, simpliciique locutione usus. Duas scripsit Epistolas ad Pythag. quæ apud Laërtium.

Universale rerum Principium Aërem statuit, nostramque animam aërem esse, quæ nos temperet; totumque mundum aërem, & Spiritum continere: Spiritus vero, & aëris idem sunt ex sui sententia. Aërem Deum esse, eumque digni, immensum, & infinitum, & semper in motu existere. Hinc de ipso Divus August. I. 8. de C. D. c. 2. *Iste omnes rerum caussas infinito aëri dedit, nec Deos negavit, aut tacuit; non tamen ab ipsis aërem factum, sed ipsos ex aëre ortos credidit.*

Exteriorem Cœli superficiem terrestrem statuit; Solem, Lunam, & Stellas igneæ substantiæ, cui admixta sint terrestria corpora; moveri autem circa terram, & à condensato aëre impelli: Solem vero, & Lunam eclipsin pati, obtusato foramine, per quod ignem mittant.

De Meteoris ita sentire visus est. Nubes ex aëre maxime condensato generantur; pluvia ex iisdem magis compressis; nix fit, quando aqua delabens congelatur; grando vero, si humido vento comprehendatur. Iridem, ait, fieri sole illuminante nubem densam, crassam, & nigram, in qua cogantur solis radii, cum non possint ultra progredi. Terræ concussionis caussam dicebat ejusdem siccitatem nimiam ab æstu profectam, vel ejusdem nimiam raritatem à frequenti pluvia productam, ex utraque enim causa, ut notat Aristot. in Met. terra rumpi solet, & ex coincidentibus fragmentis ingentibus concurti. Frigus materiæ condensationem, & contractionem docuit; calorem vero ejusdem laxationem, & raritatem. Atque sic rationem dedit, cur ex hominis ore halitus compressus, & densatus, frigidus emittebatur, aperto tamen ore calidus. Vid. Plut. Suid. Stob. Laërt. aliique. Inter alios ejus discipulos Diogenes fuit Apolloniates, vir physicus, eloquentia, & sapientia clarus, qui iisdem Praeceptoris principiis philosophatus est; &

## ANAGORAS

**C**lezomenius, Hegesibuli, seu Eubuli filius, natus est, juxta Apollodorum, anno 1. Olymp. 70. Genere clarus, & opibus, clarior tamen ex earundem generoso contemptu fuit; iis namque relictis, *Divinae delectationi*, ut Cic. Tuscul. 5. 39. ait, *toto se animo ut dederet*, Platonis irrisiōnem ob patrimonium ita neglectum incurrit. Vigesimo ætatis anno Athenas Philosophiæ studio profectus est, ubi eum 30. annos commoratum tradunt. Vide Laërt. 2. 7.

Ipse primus duo rerum Principia statuit, Materiam, & Mentem, quorum primum ut Principium Passivum, secundum vero ut Activum agnoscebat. Sic enim in operis sui initio scribit: *Omnia simul erant, deinde accessit Mens, eaque composuit. Unde & Natura, Mens ab Atheniensibus dictus est, quod primus fuerit,*

rit, qui hoc cum Materia principium junxerit; uti est apud Laërtium 2. 6. De quo sic Timon:

*Nunc ubi Anaxagoras, Mens, est fortissimus Heros,  
Qui Mentem subito, nam mens non defuit illi,  
Composuisse putat, fuerant quæ incondita quondam.*

Hanc autem Mentem infinitam Deum esse, dicebat, quæ Mens per se mo-  
veatur, & corpori non inclusa, omnium rerum sit autrix, ex infinita materia  
cuncta componens. Vid. Lactant. 1. 5. Cic. de N. Deor. 1. 11. & Aug. de C. D. 8. 20.  
Unde Clem. Alex. in Admon. ad Gentes: *Anaxagoras Clazomenius, & Atheniensis Archelaus: atque hi quidem Mentem præfecerunt infinitam.*

Passivum vero, seu materiale rerum principium dixit unum simul, & mul-  
tiplex, hoc est οὐσία, sive partium similitudinem. Cuncta namque ex  
partibus sibi ipsis similibus constare, docebat; sic ex. gr. ossa ex partibus osseis,  
aurum ex auri partibus similibus, constare, asserebat. Homogenea igitur ma-  
teriæ corpuscula omnium rerum principium sunt. Quam sententiam sic optime  
Lucret. I. 1. v. 830. & seq. expressit:

*Nunc & Anaxagoræ scrutemur Homœomeriam,  
Quam Græci memorant, nec nostra dicere lingua  
Concedit nobis patriti sermonis egestas.  
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis,  
Principium rerum, quam dicit Homœomeriam.  
Ossa videlicet è paucillis, atque minutis  
Ossibus: sic & de paucillis, atque minutis  
Visceribus viscus gignit, sanguenque creari  
Sanguinis inter se multis coœuntibus guttis:  
Ex aurique putat micis consistere posse  
Aurum, &c.*

Idem credidit, superas mundi partes igne plenas esse, & vim, quæ ibi est,  
æthera vocavit, teste Aristot. Meteor. 1. 3. Ætherem autem circumfusum igneæ  
esse naturæ, & circumvolutionis vehementia lapides è terra abripuisse, qui,  
ignis ejus vehementia carentes, in stellas conversi fuerint; omnesque ab Ortu  
in Occasum ferri, ex Plut. Plac. Ph. 2. Solem carentem, & penitus ignitam  
massam esse, & Peloponneso majorem. Lunam esse corpus opacum, ignitum,  
à sole illustratum, habitabile, vallibus, montibus, atque aquis distinctum.  
Viam Latteam esse terræ umbram in parte cœli, cum sol infra terram delatus  
totum non illuminat. Vid. Plut. l.c. sive, ut Laërt. ait, viam lacteam esse refle-  
xum solaris luminis non intermicantibus astris.

De Meteoris docuit, cometas esse errantium stellarum concursum, flam-  
mas ex se emittentium; Stellas cadentes veluti scintillas ab aëre vibrari, atque  
propterea statim extingui. Ventos fieri, cum aër à Sole attenuatur. Tonitrua  
aubium collisionem; Coruscationes verò earundem confricationem. Iridem oriri  
ex refractione lucis solaris in nube densa, è regione austri speculi instar posita:  
qua etiam ratione Parhelios explicabat in Ponto conspectos. Terræ motuum  
caussam dixit esse ὑπορόγητον, successionem aëris in terram; sive, ut Aristot.  
Met. 2. 7 Plut. Plac. Phil. 3. 15. & Seneq. Nat. Qu. 6. 9. interpretantur, cùm  
aër, vel æther in terræ cavernis inclusus, & difficilem inde exitum inveniens,  
terram agitat, & succedit.

Mentem omnis motus caussam esse asseruit, ex quo motu factum sit, ut  
levia corpora in suprema mundi regione sita sint, ut ignis; quæ media medium,  
ut aër, & aqua, quæ vero gravia, infimam regionem petiisse, ut terra, dixit:  
Animalia primū ex humore, calore, & terra manasse, deinde vero per ge-  
nera-

nerationem , & mares quidem à dextris , feminas vero à sinistris : omnia animalia habere mentem agentem : fel esse acutorum morborum caussam : fieri echo , cùm sonus repercutitur , & similia , quæ fusiūs apud Laërt. Plutarch. & Aristot. Anaxagoræ Prædictiones lege sis apud Suidam , Laërtium , Plinium H. Nat. atque alios . Lampsacum tandem exilio ab Atheniensibus damnatus venit , ibique mortuus est ; cui defuncto Lampsaceni justa honorifice persolverunt , addito epitaphio , cujus sensus :

*Hic situs ille , cui rerum patuere recessus ,*

*Atque arcana Poli , magnus Anaxagoras .*

Ipsi quoque duas aras dicatas memorat Ælian. H. V. 8. 19. alteram Menti , alteram Veritati inscriptam . Ex Æliano etiam habemus , Anaxagoram risisse , vel subrisisse nunquam . Anaxagoras primus de Naturali Philosophia librum à se scriptum edidit , ex Laërtio , & Cl. Alex. cujus verba 1. Strom. sunt : *Alii autem Anaxagoram Hegesibuli filium Clazomenium primum librum scriptum edidisse , referunt .* Vitæ tamen posuit Contemplationem , & , quæ ex ea procedit , Libertatem , ex cit. Alex. Str. 2. Traditur etiam à Plutarcho , eum de Circuli quadratura librum in carcere scripsisse .

Inter discipulos ejus traduntur fuisse Pericles , qui ipsum accusatum defendit , Euripides , qui deinde ad Tragicam Poësim animum appulit , Socrates , & , ut quidam volunt , Democritus , atque

### A R C H E L A U S.

**A** Theniensis , sive Milesius , Anaxagoræ discipulus , & successor fuisse traditur , & Physicus appellatus , quod primus ex Jonia Physicam Philosophiam Athenas transtulit . Vossius tamen in Tract. de Sect. Philos. & Musantius in Fac. Chronolog. tab. 1. Anaxagoram primum fuisse ferunt , qui ex Asia Athenas Scholam invexit : quod etiam sentire videtur Clem. Alex. 1. Strom.

Erat autem hæc Archelai sententia de rebus Physicis , ut ex Laërt. Stob. & Plut. duo esse rerum Principia , Corporeum scilicet , infinitum , & dissimilare , Aërem nempe , ejusque raritatem , & condensationem , quarum hæc terram , illa ignem absolvat ; & Incorporeum , seu Mentem . Unde Divus August. 8. Civ. 2. Anaxagoræ successit auditor ejus Archelaus : etiam ipse de particulis inter se dissimilibus , quibus singula quæque fierent , ita omnia constare putavit , ut inesse etiam Mentem diceret , quæ corpora dissimilia , idest , illas particulas conjungendo , & separando , ageret omnia .

Universum esse infinitum , dicebat , & infinitos esse mundos : duas esse generationis caussas , calidum , & frigidum : homines , & animalia omnia ex limonata : Ventos terræ cavis inclusos , & ipsam , ut exitum sibi inveniant , agitantes , terræ motuum causam assignabat : Stellas terreas ignitas laminas esse : Solem stellarum maximam : Vocem esse aëris percussionem : justum , & turpe non natura , sed lege fieri . Vixisse traditur nonnullis circa seculum ab O.C. 37. & ab U.C. an. 338.

### S O C R A T E S

**A** Thenis , & proprie in Alopece , quod unum erat ex oppidulis per Atticam sparsis , natus est anno 4. Olymp. 77. ex Apollodoro , Suida , & Laërtio ; patremque habuit Sophroniscum Athenensem lapidarium , matrem verò Phænaretam obstetricem , generosæ tamen , & imperterritæ indolis . Primam ætatem statuariæ , quam pater exercebat , arti ex victus necessitate impendit .

Deinde

Deinde vero Critonis divitis Philosophi ope, qui ipsi filios instituendos tradidit, Philosophiam didicit, aliasque liberales artes, Eloquentiam præcipue, in qua promptus, & acer adeo erat, ut Idomeneus refert, ut Aristophanes in Comœdia, quæ Nebulæ inscribitur, eum agitet, quod deteriorem caussam oratorie loquendo meliorem efficeret. Sed cum triginta Tyranni, qui Athenis regnabant, eum dicendi artem, ut ait Xenophon, exercere prohibuissent, ipse ad Philosophiæ studia se convertit.

Ejus in Philosophia præceptor primus Anaxagoras dicitur; ubi verò Athenis excelsisset Anaxagoras, ad Archelaum se contulit, teste Aristoxeno, cui & in deliciis fuit, & in Schola successor, quicum Samum etiam profectus est. Damonis etiam suavissimi Musicæ præceptoris discipulus fuit. Prodicum Sophistam, patria Chium, se audivisse fatetur idem Socrates, Diotimam, atque Aspasiam, singularis eruditionis feminas. Poësin edocitus est ab Eveno, Economiam ab Ischomacho, Geometriam à Theodoro, & tandem Senex à Conno, qui nobilissimus fidicen à Cicerone appellatur, hanc artem didicit.

Socrates mitis semper, & humilis in docendo fuit, ac clara methodo usus; omnes enim physicorum sententias refellebat, suam nunquam pro certa statuens; dicebat enim: *Solum scio, me nihil scire.* Confusas Philosophorum, qui ipsum præcesserunt, ideas certa methodo composuit; unde Cic. l. 2. de Fin. inquit: *Socrates, qui Philosophiæ parens jure dici potest,* &c. Xenophon vero in Ep. ad Æsch. negat, Socratem unquam de cœlis, caussisque naturalibus differuisse, neque de aliis disciplinis, quæ μαθημάτων nomine Græcis veniunt, atque eos, qui de talibus disciplinis eum differuisse affirmant, impudentissime mentiri, Platonem significans, ut observat Gellius, in cuius libris Socrates de rebus naturalibus, musicis, & geometricis disputans repræsentatur. Sed Physices scientiam Laërtius, & Cicero ei tribuunt, quicquid cum Porphyrio cæteri Socratis detractores affirment.

Animadvertis tamen, Naturalis Philosophiæ contemplationem nihil ad vitam recte instituendam conferre, Ethicam Philosophiam invexit, de qua & in officinis, & in publico semper philosophans, ea potius inquirenda hortabatur, quæ mores instruerent, & quorum usus domi esset necessarius. A Physica ad Ethicam transiens dicere solebat: *Quæ supranos, nihil ad nos.* Hinc Cic. Acad. Qu. i. 5. ait: *Primusque à rebus occultis, & ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum Philosophi occupati fuerunt, avocavit Philosophiam, & ad vitam communem adduxit: ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de bonis, & malis rebus quæreret.* Et 3. Tusc. A Socrate omnis, quæ est de vita, & moribus, *Philosophia manavit.*

Omnis igitur Socratis Philosophia vel ad Dei, Animæque contemplationem, vel ad hominis cum hominibus conversationem, præcepta tradebat. Ipsam vero Philosophiam veram ad felicitatem viam esse dicebat. Tria rerum omnium principia statuit, *Deum, Materiam, Ideas.* Deus est intellectus universalis, Mens mundi, τὸ ὄν, αὐτὸς ἔχαστος, αὐτὸς τὸ καλόν, αὐτὸς τὸ ζωῆς ἀδόγητος, in se ipso perfectus, omnibus creaturis & ut sint, & ut bene eis sit, largitus. Docebat Deum, non Casum mundi autorem esse, ejusque Providentia cuncta gubernari; ac talem postremo Deum esse, ut unico actu omnia videat, omnia audiat, omnia gubernet, ubique existat. Materiam dixit esse id, quod generationes subit, & corruptiones; Ideam vero substantiam esse corporis expertem, in mente, & conceptu Dei. Animam dixit divinam esse, & immortalem, quæ à corpore disoluta in cœlum, unde venerat, redibit, vel ad fruendum beatitudine cum Deo in loco jucundissimo, vel ad pœnas luendas. Hanc autem Animam ante corpus existere, æternarum idearum cognitione imbutam; quam cognitionem dum cor-

corpori jungitur , amittit , quasi stupefacta , donec ex stupore suo excitetur per ratiocinationem , à rebus sensibilibus initium ducentem . Hinc educit , quicquid Anima inde discit , esse potius reminiscentiam , atque amissæ scientiæ recuperationem . Vid . Plat . in Phædon . atque alibi passim , Xenoph . Cic . Læl . c . 4 . atque alios . Et de Socratis Metaphysicis satis .

Ad Ethicam vero quod spectat , quæ omnem fere Socraticam Philosophiam absolvere videtur ; in hac ipse de Virtute , & Vito , de Amore , Invidia , & Tristitia , de Fortitudine , & Imbecillitate , de Temperantia , Continentia , & Animo sua sorte contento , de Liberalitate , Prodigalitate , & Avaritia , de Magnanimitate , & Superbia , de Patientia , Veracitate , & Adulatione , de Urbanitate , & Comitate , de Justitia , & Amicitia , aliisque virtutibus tractat ; verum de his particulatim agere , tum quia Synopseos limites hæc Historia transcenderet ; tum potissimum quia hæc fusiūs à Xenophonte in Mem . Socr . Plutarcho , Platone , Stobæo , Clemente Alex . Laërtio , aliisque , & ex his omnium novissime à doctissimo Stanlejo memorantur , consulto prætermitto , pauca tantum adnotasse contentus , ex quibus quæ , & qualia sint ejus de Ethica Philosophia vere aurea dicta , & præcepta , cognosci possint .

Docebat igitur , eundem esse virum justum , & beatum , & non esse utile , nisi quod justum est , veramque felicitatem non in bonis , fortunæ obnoxiiis , sed in virtutis possessione sitam esse . Hortabatur juvenes , ut jugiter se in speculo intuerentur , ut si formosi essent , digni ea specie fierent , si deformes , eruditione deformitatem tegerent ; virtus namque animæ pulcritudo est . Ut ignis vestimento , sic fædum facinus tempore occultari non potest . Illi beate , & tranquille vivunt , qui nullius sibi consciæ criminis sunt . Nobilitas non est aliud , nisi animi , & corporis bona temperies .

Malo consilio spem superstruere est infirmæ anchoræ navim committere . Invidia ulcus est animæ . Eorum quærenda familiaritas , quorum candor sit conspicuus . Unicum bonum scientia , malum unicum inscitia est . Quid Prudentia ? Animi concinnitas . Qui Prudentes ? qui non facile oberrant . In bello quidem ferrum auro præstat ad sese defendendum , in vita vero Sapientia divitiis . Maximum est vitium , ingratum se præbere beneficiis . Id solum nos precari oportet , ut Dii bona largiantur ; quæ autem bona nobis sint , optime nosse ipsos Deos . Religiosius , & rectius Deos colere non possumus , quam faciendo , quæ jubent . Patri aspero , sicut legi duriori parentum ; patris autem increpatio suave remedium est , plus enim utilitatis , quam mordacitatis habet . Vir fortis est , cui , quod necessitas imponit , non invito , sed lubenti accidere videtur . Corinthiorum portas valide clausas videns , num , dixit , mulieres hic habitant ? Præstat honeste mori , quam turpiter vivere .

Cum nimium formosis conversari est incontinentiæ occasionem querere . Corporis sanitas diligenter tuenda , ex ea enim animæ quoque salus pendet ( unde etiam vulgatum illud : *Animi mores corporis temperiem sequuntur* . ) Bene convivari , si neque animum lœdunt , neque corpus , neque inventu difficultia sint , quæ comeduntur . Ditissimus , qui in minimis contentus , nam contentum esse , naturæ continet divitias . Homines , dicebat , vivere , ut ederent , se verò edere , ut viveret . Mulier timenda magis quam te amat , quam cum conviciatur . Qui diviti largitur , aquam in mare profundit . Viam ad gloriam meliorem nullam esse , quam ut quis bonus sit , videri nolit . Fideles sunt non qui dicta , & facta tua laudant omnia , sed qui peccata reprehendunt . Bonos viros iis oportet moribus esse , ne major sit iis , quam juramento , fides . Ignem quidem vento , amorem vero conversatione accendi . Qui , fratribus præteritis ,

tis, alios sibi amicos acquirunt, iis esse similes, qui, suo agro relicto, colunt alienum. Medicos ægrotis, amicos infortunatis consulere oportere.

Œconomica Socratis Philosophiæ pars, ab Ischomacho accepta, optime narratur à Xenophonte in speciali de hac re tractatu. Addam tantum, quod interrogatus utrum melius esset, uxorem ducere, an non, respondit: *Utrumque egeris, pœnitentia duceris*. Viros, dicebat, oportere civitatis legibus obedire, uxores vero maritorum ingenii.

Politicam Socratis, quæ eadem cum Platonicis, vide apud Hesychium Illustrium. Addam ex Xenophonte, quod, Reges, & Principes non eos esse, diceret, qui sceptra tenent, sed qui imperare sciunt. Regem item esse, qui voluntibus imperet; Tyrannum vero, qui in ipsis non ex lege, sed ex arbitrio præsit. Boni civis officium esse, opulentiorē reddere Remp. tempore pacis, vītricem tempore belli, hostes ei conciliare in legationibus, in seditionibus plebem concionibus coercere. Interrogatus, quæ munitissima esset civitas? respondit, quæ viros bonos habet: quæ rectissime constituta? in qua magistratus conjuncti sint animis: quæ optima? in qua plurima virtuti proposita præmia sint: in qua optimum sit habitare? ubi secundum leges vivatur, & injusti puniantur. Vid. Stob. Serm. 41. p. 247.

Maximam semper animi æquabilitatem in omni vita servavit tum in prosperis, tum in adversis rebus. Hinc Plin. l. 7. Ferunt, Socratem clarum sapientia eodem semper visum vultu, nec aut bilari magis, aut turbato. Duas habuit eodem tempore uxores, Xanthippem, & Myrtonem, quæ cum saepe de ipso inter se altercarentur, ipse deridebat, quod propter se fædissimum hominem, simis naribus, recalva fronte, pilosis humeris, repandis cruribus disceptarent; sed tandem impetum in ipsum vertentes & male mulctarunt, & in fugam versus diu persecutæ sunt. Socratem aliquando cum amicis domo exeuntem Xanthippe, ut saepissime solebat, irata, post aspera verbera in eum affatim congesita, ex conclavi superiore aquis sordidis perfudit: quo facto, ipse ad amicos conversus ait: *Nonne dicebam, Xantippem tonantem mox pluituram?* Interrogatus ab Alcibiade, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret? respondit; *Quoniam dum talem domi perpetior, exerceor, quò foris petulantium injuriam facilius feram.* Dicenti iterum Alcibiadi, intolerabilem esse Xanthippes maladictiam, respondet: *Tu nonne toleras anseres clamore obstrepentes?* ipsi vero respondenti: *Non mirum, nam mihi ova, & pullos pariunt;* subdit: *Et mihi Xantippe filios gignit.* Socratis erga Alcibiadē amorem, Alcibiadis vitam, & facta, vide apud Platonem in Alcibiade primo, & Plutarchum in vita Alcibiadis.

Ne dum ipse Socrates Genium, sive Daemonem se habere dicebat, qui sibi de ipso, & Amicis futura prædiceret; sed plane hoc ipsum ore fatentur Plato, Xenophon, & Antisthenes, Socrati coævi, quorum testimonia firmant Laërtius, Plutarchus, Maximus Tyrius, Dio Chrysostomus, Cicero, Apuleius; & ex Patribus Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alii. Hujus vero rei argumenta, Cicerone de Divin. l. 54 referente, ab Antipatro collecta fuere. De qua re passim etiam alii; novissime vero in Academia Lipsensi Gottfr. Olearius anno 1702. nobilem de Genio Socratis Dissertationem habuit, quam eruditissimus Joh. Cler. Stanlei operibus inseruit.

Temperantiam, Prudentiam, Frugalitatem, Patientiam, Justitiam, reliquaque animi virtutes, quas ipse unice amandas, & sectandas docebat, tales in eo, ex communi scriptorum consensu, fuisse constat, ut impii quidquam, ac nefandi nec patrantem ipsum viderit quisquam, nec dicentem audiverit. Munera, & honores æque ac injurias, & verbera contemnebat; Munera enim, magna

goa præcipue, non accipiebat, & illatas sibi five verbis, five manibus injurias hilari vultu tolerabat: Cuidam enim sibi dicenti, quod alter male de ipso absente loqueretur, respondit: *Absentem vel verberet.* Et alteri nuncianti, quendam eum maledictis incessere, respondit: *Bene loqui non didicit.* Colapho percussus hoc tantum dixit: *Quām permolestum est, nos homines ignorare, ubi ga-leatis in publicum sit prodeundum.* Summa tandem Socratis sapientiae, & virtutis laus est, quam ipsi Apollo Delphicus dedit, dum à Chærephonte Socratis sodale interrogatus, quis hominum esset Sapientissimus? respondit Oraculum: Αὐδρῶν διτάνων Σωκράτης σοφώτατος, *Omnium hominum Socrates sapientissimus.*

Tandem ex invidia apud Senatum ab inimicis accusatus est, quod Athenarum Deos contemneret, novosque Deos introduceret. Cujus accusationis libellus talis à Laërtio 2. 40. traditur: *Melitus, Meliti filius, Pittensis Socratem, Sopronisci filium, Alopeciensem defert. Socrates, præter jus, & æquum, Deos, quos Civitas esse censet, ipse non censet, novaque Deorum numina introducit: præter jus, & æquum item juventutem corrumpit: pœna illi, mors.* Cum autem Hermogenes, Lylias, aliique Oratores disertissimi, omnesque sodales, qui ditissimi erant, verbis, & opibus defendere, & liberare eum vellent, nullo modo hoc fieri voluit, dicens: *Bis defensionem ad judices meditari volenti numen adversatum est mihi.* Plato etiam, aliique discipuli, & Amici pecuniam Socrati jam damnato obtulerunt, qua vitam redimeret; ipse vero hoc facere nec voluit. Unde Cicutam ex judicium decreto hilari vultu, fortique animo bibens, & philosophica cum amicis disputans mortuus est anno 1. Olymp. 95. ætatis vero suæ 70.

Cicero, Plutarchus, Dio Chrysostomus, Aristides, Origenes, & alii Socratem nihil scriptis mandasse testantur. Sed ipsos de Philosophicis scriptis intellexisse, certum est: ignorare enim non poterant, Socratem præter Epistolas, à Leone Allatio editas, & ab Arriano, & Athenæo memoratas, Æsopi Fables eleganter in metrum redegisse, quarum Plato, Plutarchus, & Laërtius meminere; ut supra quoque in vita Æsopi dictum; Hymnum in Apollinis, & Dianæ honorem scripsisse; & Dialogos composuisse, quos Æschini dedit jam nimis pauperi, ut ex ipsis quæstum facheret. Socratis autem dicta, facta, & doctrinam ejus discipuli Xenophon, Plato, aliique scriptis tradidere. De scriptis Socratis vide Dissertationem Gottfridi Olearii contra Leonem Allatum, ab eruditissimo Joh. Clerico Stanleji Historiæ additam.

### SOCRATIS DISCIPULI.

**Q**UAMVIS omnes, qui è Socratis Schola prodiere, Socratici dici vellent, & ambirent; non omnes tamen ejusdem conditionis extitere. Cum enim, ut Cic. Orat. 3. 16. ait, ex illius variis, diversis, & in omnem partem diffusis disputationibus aliud aliud apprehenderet, prosemnatæ sunt quasi familiæ dissidentes inter se, & multum disjunctæ, ac dispare; de quibus infra. Alii contra vel nullius, vel parum memorabilis Sectæ autores extitere, sed ejus doctrinam vel integrum, vel parum immutatam secuti sunt; de quibus in præsenti capite. Nullius Sectæ autores

### XENOPHON.

**A**Theniensis, Grylli filius natu, ut ex Luciano de Longæv. a. 1. Olymp. 82. mortuus vero nonagenarius Corinthi a. 1. Olymp. 105. Hac autem

occasione cum Socratis adnumeratum fuisse, narrat Laërt. 2. 48. Cum Xenophon in angiportu quodam Socratem obvium habuisset, porrecto baculo transire prohibuit, eumque interrogavit, *Ubi venirent, quæ humanis usibus sunt necessaria?* Cui Socrates serium dedit responsum, ac vicissim interrogavit; *Ubinam boni, & probi homines fierent?* Quo audito cum hæreret Xenophon, dixit Socrates: *Sequere ergo, & disce.* Atque ex eo tempore Socratis discipulus factus est.

Xenophontis corporis, & animi descriptionem ex Laërt. Athen. & aliis, hanc habemus: Verecundus erat, coma promissa, &c, ut Laërtius ait, ultra quam dici possit formosus. Præstans in omnibus, præcipue tamen equorum, venationis, & exercitus instruendi peritus. Religiosus, & sacrificiis intentus, quorum interpres erat egregius. Socratis imitator, sive contemplationes spectes, & sapientiae studia, sive quæ ad rem gerendam, consummatæ virtutis. Solus enim, ut Eunapius in Proœmio ait, in Philosophis fuit, qui actionibus non minus, quam verbis Philosophiam illustraret. Neque Alexander Magnus celebraretur, nisi Xenophon dixisset: *Tralatitias quoque fortium virorum actiones memoriæ mandandas esse.* Ipse primus Socratis magistri sui scripta, notis excepta, in publicum edidit, nullis adsutis de suo laciniis, ut Plato fecit, ab eo propterea, Gellio 14. 3. observante, reprehensus. Platonii inimicus semper extitit, ut ex Laërt. Athen. Gell. & Voss. habemus, quem criminis hujus damnat, quod Socratis doctrina non contentus, Pythagoreis, & Aegyptiis Sacerdotibus se adjunxerit. Aristippo quoque contrarius fuit, ut ex ejus scriptis. Laërtii duo in ipsum Epigrammata sunt:

*Non tantum ad Persas Cyrus Xenophonta vocavit,  
Sed virtus etiam limina ad alta Jovis.  
Dumque ejus virtute stetit res Hellados, ipse,  
Quam sapiat clare Socrates, ecce docet.*

Quod Epigramma ejus cum Cyro expeditionem in Asiam spectat. Alterum, vero, quod spectat exilium, sic habet:

*Sis quamquam ingratis Xenophon ejactus Athenis,  
Ob gratiam gratus Cyri minus tuis.  
Te tamen excepit fugitivum grata Corinthus,  
In qua hospes urbe nosti latus vivere.*

Plura scripsit, in quibus verbis, & sententiis Herodotum imitatus est, ut notat Dionys. Halicarnass. de Vot. script. cens. p. 125. & Epist. ad Pomp. p. 210. Oratione usus est leniore, & melle dulciore, & à forensi strepitu remotissima, ut observat Cic. Orat. 19. Unde Attica Musa, & Apis Attica dictus est, ejusque voce Musæ quasi locutæ. De ejus dictione, & eloquentia videatur Aristides Adrianensis in peculiari Tractatu, qui Hermogeni adscribitur. Xenophontis libri 40. à Laërtio recensentur, quos omnes Cic. ad Quintum studiose legendos suadet, & Scipio Africanus assidue in manibus habuisse dicitur. Sunt autem: *Kύρος παρδάνας*, *Cyropaedia*, in qua Cyri vitam, & disciplinam non ad historiæ fidem, sed ad effigiem justi imperii, ut Cic. ait, libris 8. scripsit. *Kύρος αὐτάρατος Cyri adscensus*, scilicet in Asiam, lib. 7. *Eπανάστασις Historia Græca*, lib. 7. descripta, & ubi Thucydides texere desierat, prosecuta, & annorum 48. res gestas proponens. *Agestalaus*, in quo Regis hujus laudes prosequitur. *De Rep. Lacedæmoniorum, & Atheniensium Socratis Apologia, & memorabilia ejus*, quæ forte est Philosophorum Historia à Suida commendata. *Oeconomicus*, qui ultimum Socratis memorabilium librum absolvit; quem librum Cic. latine vertit, & induliciis habuit. *Symposium. Hiero*, sive liber de Regno: *De Administratione Domestica: De Equis: De Re Equestris. De Venatione: Epistolæ denique 10. quas vide apud Allat. aliosque.*

# HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ AESCHINES.

**C**harini, lucanicarum fætoris, sive, secundum alios, Lysaniæ Atheniensis filius, à pueris φιλόπονος, laborum patiens fuit. Hic Socratem sequi constituerens, ut notat Senec. de Benef. I. 8. dixit: *Pauper sum, neque munus, quod tibi offeram, habeo, meipsum tamen trado totum.* Qui Socrates: *Nonne verò animadvertis quantum mihi munus obtuleris?* A Socratis latere nunquam discessit; unde Socrates dixit: *Solus nos novit honorare δὲ τὸς αἰτιαριῶν, fætoris lucanicarum filius.* Pauperrimus cum esset, Socrates ei Dialogorum suorum quosdam dedit, ut ex ipsis lucrum faceret. Pauperie item adactus in Siciliam ad Dionysium tyrannum concessit tempore, quo Plato, & Aristippus ibi degabant; à quorum ultimo commendatus Dionysio fuit, ut ex Laërtio, & Epistolis Socraticorum habemus, cum quo Dialogos quosdam ipse communicavit, quos liberaliter ille remuneratus est; vixitque cum eo, donec illi, tyrannide pulso, Dion successit. Quo facto Athenas reversus, cum Philosophiam publice docere non auderet, quod maxima ibi Platonis, & Aristippi fama esset, privatim mercede accepta docebat. Deinde caussis in foro dicendis se addixit, in quo munere obeundo, ut Timon testatur, summa ipsi facultas fuit ita, ut Lysias ex invidia Orationem adversus eum contumeliis plenam scriperit, cui titulus Περὶ Συκοφαντίας, de Sycophantia, sive de calumniatoria accusatione.

Scripsit Dialogos 7. ex Laërtio, in quibus Socraticum expressit ingenium, & quibus magnam temperantiae, humanitatis, & integritatis laudem consecutus est; Orationes, summa dicendi facultate insignes, in quibus Leontinum Gorgiam imitatus est; Et Epistolas, quarum unam ad Dionysium tyrannum Laërtius memorat; altera in Epist. Socraticorum habetur.

## C R I T O

**A**Theniensis Præceptorem suum Socratem adeo dilexit, ut ipsum necessariis egere nunquam passus sit. Is quod pacato esset ingenio, animique quietem diligeret, consilium à Socrate quæsivit, quomodo contentiosos homines, qui litibus ipsum continuo affligebant, eludere posset: cui Socrates, si, inquit, similis cum adversariis ingenii hominem tibi adjunxeris, qui adversariorum injurias depellat. Hinc ipse Archidamum juris peritissimum, sed pauperem elegit, qui donis ejus, & liberalitate devinctus, acerrime omnes insectabatur.

Scripsit Dialogos 17. quos sic Laërtius recenset: *Non ex disciplinis constare probitatem. Quid sit abundare. Quid idoneum, seu Civilis. De Honesto. De Maleficio. De Felicitate. De Lege. De Divino. De Artibus. De re Venerea. De Sapientia. Protagoras, sive Civilis. De Literis. De Poëtica. De Bono. De Disciplina. De Scientia, sive quid sit scire.* Est præterea Apologia pro Socrate. Quatuor ejus filii Critobulus, Hermogenes, Epigenes, & Ctesippus, Socratis discipuli fuere.

## S I M O N

**A**Theniensis, coriarius, Socratem ad suam officinam ventitantem attente audiens, & quæ differeret, adnotans, ejus discipulus factus est; unde & ejus Dialogi, quos Laërtius ad 33. editos refert, Συντίξοι, Coriacei dicti sunt. Fertur primus discipulorum Socratis Sermones recitasse. Pericli ipsum ad se invitanti, & victimum omnem promittenti, respondit, *Se libertatem in dicendo vendere nolle.* Est inter Socraticorum Epist. ejus una, qua Aristippo respondet.

GLAU-

**G**LAUCO Atheniensis, qui 9. Dialogos scripsit; SIMMIAS Thebanus, qui 23. & CEBES etiam Thebanus, qui Dialogos tres, Historiam Inferorum, atque alia scripsit, omnes veri Socratis discipuli fuere, qui Scholam in Sectas non distraxerunt. Sequuntur nunc Socratici, qui Sectarum autores fuere; sed quibus brevissimi temporis ætas concessa fuit, sive quod ratione solida nulla interentur, reliquorum vi, & disputationibus fracta, & extincta, ut Cic. de Or. 3. 17. ait; sive quod non in totius Græciæ florentissima Athenarum urbe, sed in obscurioribus orbis partibus sedem habuerint. Et primo

### ARISTIPPUS CYRENAICÆ SECTÆ AUTOR

**S**ocratis quidem discipulus, sed non imitator, Cyrene, quæ Africæ est, natus, inde Athenas ad Socratem, cujus fama invitabatur, perrexit. Hic, quem illæ magis voluptariæ Socratis disputationes delectabant, ut Cic. de Orat. 3. 17. ait, Voluptatem ultimum esse hominis finem, quo omnis contineatur felicitas, docuit. Et sane huic doctrinæ vita, & mores ejus respondebant; & quidem luxui, unguentis, vestibus preciosis, vino, & mulierculis indulgebat, ut notat præ cæteris Athen. Dipn. 12. Quamvis opibus afflueret, & tria prædia possideret, primus tamen Socraticorum mercedem docendo exegit, & quæstus philosophatus est. Hinc Socrates ipsi ait: *Quid est, quod tam magna possideas?* Cui Aristippus: *Quid est, quod tam exigua tibi suppetant?* Cum 20. minas ipse ad Socratem misisset, hic statim remisit, inquiens, Dæmonem prohibere, quo minus recipiat. Ut autem continuas Socratis reprehensiones vitaret, & genio in venerem indulgeret magis, Socrati valedicens Æginam profectus est, ubi usque ad Socratis obitum vitam luxu diffluentem duxit, Laidis, famosissimi Corinthiorum scorti familiaritate fruens, quæ Æginam quotannis, Neptuni festo, ventitabat; in cuius etiam gratiam Corinthum Aristippus ire non dubitavit.

Tandem Cyrenem in patriam reversus, Philosophiam docuit, quæ à loco Cyrenaica, & à fine, quem sibi proponebat, Ηδονική, Hedonica, sive Voluptuaria dicta est. Cyrenaici Physicam respuebant, quod nulla ad ejus cognitionem via pateret; Logicam tantum excolentes: quamvis Meleager, & Clitomachus, ipsam pariter neglexisse, affirmant, quod nullius esset usus.

Veritatis Criterium penes Sensum Interiorem ponèbant, per quem animi quidem Παθήματα, Affectiones percipi possint, non autem ea, à quibus procedunt. Sic me dolorem, voluptatem &c. sentire verum est; sed an existant, vel talia sint objecta, à quibus hæ affectiones producuntur, affirmari non posse, dicebant. Nam fieri potest, ut albi à non albo, dulces à non dulci &c. efficiamus; sicut qui oculum compresserit, gemina videt objecta, qui regio morbo laborat, flava; cibus uni dulcis, alteri amarus dicitur, & his similia; ex quibus edubebant, Sensum Interiorem recte de Passionibus illis, prout percipiuntur, judicare; non tamen veritatem ullam de externis rebus affirmare, vel saltem cognoscere posse.

Finem, seu Summum Bonum, ut diximus, Voluptatem statuebat, hoc ductus argumento, quod à pueris hanc appetere, natura docuit: Dolorem contra Summum malum esse, quod omnes ipsum ab ortu timeamus. Hinc duas tantum passiones esse dicebat, Voluptatem, & Dolorem; & Voluptatem quidem definiebat, esse motum lenem, Dolorem vero motum asperum; & illam animantia cuncta expetere, hunc formidare, dicebat; nec Voluptatem voluptate majorem, nec aliud alio volupe magis esse. Per Voluptatem autem non eandem cum Epicuro sentiebat, quæ in corporis indolentia, & animi tranquillitate consistit, & quam ipse Stantem appellabat, sed corporis Voluptatem, eam-

que præsentem ; cum omnis Voluptas *μανόχρωνος* sit ; præterita enim Voluptas jam modo non est , & futura an advenerit , incertum est . Voluptatem insuper bonam esse , etiam si à turpissimis rebus proveniat , quod Voluptas in se spectata semper bona sit , ut notat Hippobolus in libro de Sectis . Præstantiores esse corporis , quam animi Voluptates , deteriores vero dolores corporis , quam animi . Finem denique Vitæ à Beata Vita differre , quod Vitæ Finis sit Voluptas particularis , Vita vero Beata particularium Voluptatum collectio sit ; & particularem quidem Voluptatem per se expetendam , Beatam vero Vitam nonni- si propter particulares voluptates .

Virtus laudanda , si voluptatem efficiat . Natura nihil honestum , aut turpe , nihil justum , vel injustum , sed lege , & consuetudine . Amicum necessitatis causa amplectendum ; nam corporis partes , quandiu adsunt , amantur . Vide Laërt. Athen. 12. Cic. Acad. qu. 4. 7. & de Off. 3. 33. Sext. Emp. adu. Matham. p. 173. & seq. Ælian. Var. Histor. 19. 20. atque alios .

A Dionysii Siciliæ tyranni profusa liberalitate invitatus , ipsum adivit ; à quo interrogatus , Cujus rei gratia venisset ? respondit : Ut quæ habeo impertiari , & quæ non habeo , accipiam . Vel , ut ex aliis : Quando Sapientia egebam , Socratem adivi , nunc pecunia opus habens , ad te veni . Aristippus , cui ingenium facile , ut se loco , tempori , & hominibus aptare nosset , Dionysii animum captavit , nam

*Omnis Aristippum decuit color , & Status , & res. Hor. 1. Ep. 17.*

Cum à Dionysio , quod pro amicis suis petebat , impetrare non posset , id tandem ad pedes provolutus impetravit : quod cum ei exprobraretur , respondit : Non ego culpandus eram , sed Dionysius , qui aures in pedibus habebat . Dionysio ipsum percontanti , cur divitum limina Philosophi frequentarent , non vero contraria divites limina Philosophorum ? respondit : Quia norunt illi , quibus opus habeant , at isti ignorant . Vide Laërt. 1. 2.

Ejus Apophthegmatum , quæ plura à Laërtio , Plutarcho , Stobæo , aliisque recensentur , pauca hic adnotabo . Interrogatus , quid à Philosophia homines consequantur ? respondit : Quod si omnes leges intereant , æquabiliter tamen sint vivi . Quærenti , quid docti ab indoctis differant ? ait : Quod equi domiti ab indomitis . Conviciis laceffitus subito abivit ; convicianti autem , cur abiret ? dicenti , ait : Quia tu maledicendi , ego non audisendi potestatem habemus . Rogatus , quid emolumenti ab eruditione filius suus expectaret ? dixit : Si non aliud , hoc saltem , ne in theatro lapis lapidi insidieat . Simus , Dionysii Quæstor , genere Phryx , homo pessimus , eum in domum suam , ex marmore magnifice ornatum duxit , in cuius faciem Aristippus conspuens ait : Locum magis opportunum video nullum . Meretrici dicenti , uterum ex eo gestare , ait : Non hoc magis nosti , quam per spinas densissimas quis ambulans dicere potest , ista me sauciat . Cum prædium amisisset egregium , condolenti ob jacturam dixit : Unicum habes agellum , mibi tres adhuc relinquuntur . Annon igitur tibi potius condendum ? Mulierem statura parva , sed forma emendatissima videns , ait : Parvum malum , sed magnum bonum ; pulcritudinem intelligens .

Sosocrates , atque a lii affirmant , eum nihil scriptum reliquisse . Alii contra ajunt , scripsisse Historiam Lybicam , tribus libris contentam , & Dionysio inscriptam . Dialogos 23. partim Attica , partim Dorica Dialecto ; quorum titulos habet Laërt. 1. 2. Præterea Exercitationum libros tres ; de Voluptate librum unum , à Laërtio in Vita Epic. memoratum . De Physiologia . De Veterum Luxu lib. 4. Et Epistolas 4. quas in Collectione Epist. Socraticorum , ab Allatio publici juris facta , legere est .

Postremo cum in patriam ad Aretem filiam redeundi potestatem à Dionysio

sio accepisset, in itinere morbo correptus Lyparæ stetit, ubi & diem obiit. Adhuc tamen infirmus inde epistolam ad Aretem scripsit, quæ extat in cit. Epist. Socr. Collect. Praeter hanc filiam, quam magna cura in Philosophicis instituit, filium habuit, quem ob ingenii stuporem exhæredavit, & familia expulit. Uxor autem arguenti, quod hic filius ab ipso esset, respondit: *Pituita quoque, & pediculi à nobis sunt, quæ tamen velut inutilia à nobis longissime projicimus.*

Discipulos præter dictam filiam Aretem, quæ ei in Schola successit, plures habuit, inter quos præcipui fuere Ptolemæus Æthiops, Ptolemaide ortus, & Antipater Cyrenensis. Arete Philosophiam à parente acceptam filio suo, ex avo nomine, Aristippo communicavit, qui ideo Μητροδίδακτος dictus, quod à matre institutus esset. Hic Theodori Athei magister extitit. Antipater Epitimidem docuit; hic Paræbatam; hic Hegesiam, & Anniceridem. De quibus singulatim.

### H E G E S I A S

**P**Aræbatæ discipulus, Παρθενάρας dictus, quod mortem suaderet, non solum non timendam, sed optandam, quod nos multis malis subducatur, quod Cic. Tusc. l. 34. & Val. Max. 8. 9. affirmant, eum per enumerata humanæ vitæ incommoda feliciter probasse; atque eo eloquentiæ apparatu fuisse vitæ miseras insecum, ut earum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multi voluntariæ mortis amatores facti sunt: unde à Rege Ptolemæo ulterius hac de re differendi facultas non permitta ei fuit.

Eius discipuli à Præceptoris nomine Hegesiaci dicti sunt; qui idem cum Cyrenaicis de Summo Bono, ac reliquis sentiebant; statuentes insuper, neminem beatam vitam perfecte consequi posse propter corporis, animique afflictiones, quibus quisque tenetur: natura jucundum, & injucundum nihil: divitias, & paupertatem, servitutem, & libertatem, & reliqua cuncta nihil inter se differre; atque alia his similia risu digna, quæ sunt apud Laërtium.

### A N N I C E R I S

**C**yrenæus, Paræbatæ & ipse discipulus, quem Suidas Epicureum fuisse, & Alexandri ætate vixisse affirmit, equis, curribusque regendis maxime excelluit. Hic Platonem, Æginæ inter mancipia Dionysii iussu venditum, 20. vel ut alii scribunt, 30. minis redemit, & Athenis amicis suis reddidit, à quibus pecuniam reddere volentibus accipere noluit, dicens: *Non solos ipsos esse, quibz Platonis curam susciperent.*

Eius discipuli, Annicerii ab autore dicti, cum Hegesiacis consentiebant, omne bonum in Voluptate ponentes; amicitiam tamen colendam, & pro amicis, patria, & parentibus labores omnes etiam suscipiendos, dicebant: & quamvis ultimus finis in voluptate consistat, hac tamen pro amicis privari, bonum esse: Sapiens enim omni voluptate privatus, & in laboribus constitutus, beatus etiam esse poterit.

### T H E O D O R U S

**A**nniceridis, Dionysii Dialetici, Zenonis Cittici, & Pyrrhonis Ephecti ci discipulus, Atheus dictus, quod Deos negaret, rationesque, quibus alii Deorum existentiam probant, in scriptis suis refutaret, ut refert Suidas; ex quibus plura ab Epicuro desumpta sunt; inde vero per abusum Θεος, Deus dictus est; cuius nominis occasionem lege apud Laërt.

Cy-

Cyrenæis ipsum relegantibus ludens dicebat : *Male facitis Cyrenæi ex Libia in Græciam me expellentes*. Inde Athenas delatus , Areopagi judicio obnoxius, ad mortem damnatus esset , nisi Demetrii Phaleræi auxilio evasisset . Athenis ejectus ad Ptolemæum se contulit , à quo ad Lysimachum legati munere missus est ; Lysimacho autem ob impia quædam prolata ipsi crucis mortem sæpe minante , postremo Cyrenem rediit , ibique magna cum Mario autoritate vixit. Amphictrates tamen ait , ipsum lege damnatum ob Atheismum , hausto veneno, periisse . Multa ad suam Philosophiam pertinentia , & alia non pauca scripsit.

Sectæ autor fuit , quæ ab ipso Autoris nomine Theodoria dicta est : omnis tamen eruditionis genere , ut Suidas Σωκράτης ait , suos instituit , docens *Indifferentiam* ; hoc est , omnes res nihil invicem differre , ac turpe naturam nihil statuisse , modo vulgaris de his opinio tollatur , stultorum continendorum gratia concinnata . Hinc sapiens , si res postulat , publice operam Veneri dare sine pudore , furto , sacrilegio , adulterio uti , & quæ vellet , patrare poterit , omnia cum sint indifferentia . Finem statuit Gaudium , & Mœrorem . Bona esse Prudentiam , & Justitiam : mala vero contrarios habitus : media Voluptatem , & Dolorem . Amicitiam neque in Sapientes , neque in insipientes cadere posse , dicebat ; hi enim amicitia uti nesciunt , illi non indigent , cum sibi ipsis sufficient : sapientem etiam nec pro patria mortem subire debere , cum fas non sit , sapientiam perire , ut stultis bene sit : Communem patriam mundum esse . In quibus omnibus probandis , non rationibus , sed argutiis utebatur .

## B I O N

**B**orysthenita , Cratetis Academicus primus auditor , deinde Gynismo additus , ex quo constantiam omnis perturbationis expertem hausit ; postea Theodori Athei , ex quo Theodorus dictus est , & Theophrasti Peripatetici discipulus fuit . Antigono petenti ab ipso :

*Ede tuum nomen , patriam , genus , atque parentes .*  
respondit , patrem suum fuisse libertum , cubito se tergentem (hoc est Salsamenterium ) matrem , Olympiam dictam , meretricem Lacedæmonem . Fuit pater meus ob crimen in Remp. commissum cum universa familia venundatos . Ego ab oratore emtus , ejusque post fata hæres factus , ejus libris crematis , & discrēptis , Athenas concessi , ibique Philosophiæ studiis dedi operam .

*Hujus me esse patris , generis me glorior bujus .*

Tu vero meipsum intuere ; nam cum tibi , o Rex , sagittarios comparas , non de eorum genere quæris , sed proposito scopo ipsos experiris ; sic de amicis non unde , sed quales sint , videndum erat . Fuit igitur Sophista callidus .

Mortuus est Chalcide , omnibus ægroto necessariis destitutus , donec ab Antigono cum servis ad ipsum veniente adjutus est . Antequam diem obiret , superstitiosas ligaturas sibi applicari passus est , sicque impietatis in Deos pénitentiam egit .

Inter ejus Apophthegmata hæc præcipua : *Quis hominum maxime inquietus ? Qui se felicem maxime cupit esse , & beatum . Ad senectutem tanquam ad portum mala cuncta confugiunt . Magnum malum ferre non posse malum . Facilis ad inferos via , nam clausis ad ipsos oculis pervenitur . Alcibias , adolescens cum esset , viros ab uxoribus , maturæ etatis existens , uxores à viris abstrahebat . Roganti cuidam loquaculo , ut opem sibi in negocio ferret , dixit : Faciam quod petis , si per internuncios mecum agere , nunquam ipse venire volueris . Dives avarus , dicebat , non nummos habet , sed ab ipsis habetur . Prudentia tantum cæteras virtutes , quantum reliquos sensus visus superat . In yido subtristi dixit :*

*Vel*

*Vel tibi aliquod malum, vel alteri bonum evenerit. Amicos, qualescumque sint, servare oportet, ne videamur aut malis usi, aut contempsisse bonos. Qui adulatoribus delectantur, similes sunt amphoris, quae auribus prehensæ facile circumducuntur. Avaritia omnis mali metropolis est.*

## EUCLIDES MEGARICÆ SECTÆ AUTOR

**M**egaris, urbe ad Isthmum sita, ortus est, licet alii ipsum Gelæ ortum, quæ Siciliæ urbs est, dicant. Hic Parmenidis librorum studio initio delectatus est; deinde Athenas ad Socratis Scholam venit. Sed cum ex Atheniensium decreto, ut notat Gell. 6. 10. & Thucyd. 1. 1. Megarensibus, ne vel pedem Athenis imponerent, sub capitinis pœna sancitum fuerit; Euclides sub noctem muliebri veste indutus Megaris Athenas ad Socratem audiendum ventabat, rursusque sub lucem domum eadem veste tectus redibat, millia passuum amplius viginti quavis ferme nocte iter faciens. Mortuo Socrate, Platonem cum reliquis Philosophis Megara, tyrannorum metu, ad ipsum venientem humanissime exceptit.

Sectam instituit, quæ à loco Megarica primum dicta est, deinde Eristica, Contentiosa, quod litigiosis disputationibus ex propria indole Euclides addictus fuerit; hinc Socrates eum reprehendens dixit, ipsum cum Sophistis potius contendere, quam cum hominibus disputare posse: unde Diogenes non Σχολὴ, Scholam, sed Χαλκη merum Fel, Megaricam esse dicebat. Et Timon:

*Hos ego nugarum nolim curare patronos,  
Seu Phædona mibi narres, seu litibus aptum  
Euclidem, Megaram rabidis qui litibus implet.*

Tandem Dionysius Carthaginensis ipsam primus Dialecticam vocavit, quod interrogationibus, & responsonibus in discursu uteretur. Plut. refert, ipsum in Scholis celeberrimum fuisse. Fratri in ira dicenti: *Peream, nisi vindictam exposcam*, respondit: *Et ego peream, nisi banc tibi iram verborum lenitate extorsero, ac me perinde ac antea ames effecero.* Dialogos, atque alia scripsisse fertur.

## E U B U L I D E S

**M**ilesius, Euclidis successor, Demosthenis oratoris præceptor fuit, iuxta quosdam, qui eum literæ R pronunciationem assiduo exercitio docuit. Aristotelis ivimicus, & obtrectator semper extitit. Dialecticas argumentationes plures invenit, quales sunt Sophismatum species, quas Aristoteles, Syllogismos Eristicos, sive Contentiosos vocavit, & ex hac Schola in suam Stoici derivarunt, Φιδόρενος scilicet, Mentiens, Διαλανθάνων, Occultus, Ηλεκτρα, Εγκεκαλυμμένος, Velatus, Σωρίτης, Acervalis Ciceroni de Divin. l. 2. c. 4. dictus, Κερατίνη, Cornutus, & Φαλακρός, Calvus.

## A L E X I N U S

**E**liensis, Eubulidis discipulus, ejusque Eristicæ Sapientiae æmulator, Zenonis, Menedemi, & Ephori Historici adversarius, & in scribendo maledicuſ fuisse traditur. Hermippus refert, ipsum Olympiam ad Sectam condendam, quam à loco Olympiacam appellant, ivisse; sed discipulis omnibus ipsum ob aëris intemperiem relinquenteribus, ibi solus cum esset, in Alphæi aquis natando se exercens, arundinis acumine læsus diem obiit.

EU-

## HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ EUPHANTUS

**O**lynthius, Alexini discipulus, Demetrii pater, & Antigoni Regis præceptor fuit. Suorum temporum Historiam, Tragœdias multas plausu exceptas, & librum de Regno ad Antigonum scripsit. Grandævus mortuus est.

## APOLLONIUS CRONUS

**E**ubulidis discipulus, Cyrenæus, & proprie ex Apollonia, urbe Cyrenaica, unde Strabo ipsum Cronum Apollonium vocat.

## DIODORUS

**A**Miniae filius, Jaso ortus, quæ Cariæ civitas est, Eubulidis discipulus, ex Laërtio, Croni Apollonii disciplina usus est, ex Strab. l. 17. unde & Croni cognomen habuit. Cum Ptolemæo Sotere vixit, quo præsente à Stilpone interrogatus de rebus, quibus ex tempore explicandis cum satis non esset, discedens è convivio, & oratione de eo argumento scripta, mœrore confessus obiit. Dialecticus, & Sophisticus fuit insignis, ut refert Laërtius, & Strabo. Sophistici argumenti exemplum habemus apud Sext. Emp. quo Diodorus probabat, nihil moveri, & ex consequenti, nihil nasci, vel interire posse; quod sic habet: *Si quid movetur, aut in eo, in quo est, loco movetur, aut in eo, in quo non est. At neque in quo est movetur, manet enim in eo, si in eo est. Nec vero in quo non est, ubi enim aliquid non est, ibi neque agere quidquam, neque pati potest. Non ergo movetur quidquam.* Rerum Principia, ut refert cit. Emp. esse dicebat corpora minima, & inseparabilia, quantitate finita, numero vero infinita.

Inter Euclidis successores numerantur etiam à Laërt. ICHTHYAS, Metallo filius, cui Diogenes Cynicus Dialogum dedicavit; atque CLINOMACHUS Thurius, qui primus de Axiomatibus, Categorematibus, & similibus scripsit. Præter hos

## STILPO

**M**egaris Hellados oppido natus, Ptolemæi prioris ætate vixit, habuitque præceptores Trasymachum Corinthum, Diogenem Cynicum, Pasiclem Thebanum, & Dioclidem Megarensem. A Cic. de Fato c. 5. auctus homo, & probatus, à Sen. ep. 9. vir fortis, & strenuus appellatur; additque Cic. l.c. ejus familiares non ad vituperationem, sed ad laudem de eo scripsisse, fuisse violentum, & mulierosum, vitiosamque naturam doctrina domuisse. Et quidem præter uxorem, Nicarete etiam pellice utebatur. Plutarchus quoque ipsum laudat. Civilium rerum studio addictissimus fuit. Filiam habuit, quam Symmias Syracusanus ex conjunctissimis ejus duxerat, pessimæ famæ feminam. Quam infamiam cum Metrocles, aliique Stilponi exprobrassent, respondit, *Non esse eam majori sibi dedecori, quam ipse sit decori ei.* Et alias; *Hoc non meum est peccatum, sed filiae.* Ejus cum Metrocle, & Cratete Cynico contentiones legere est apud Plut. Laërt. & Hesych. in vit. Stilp. Magna ejus apud Ptolemæum Soterem & Demetrium, Antigoni filium, gratia fuit, à quibus, Megaris expugnatis, & restitutæ res fuere, & opes traditæ. Plutarchus in Demetrio: *Ita, præsidio ejus, reddidit Demetrius illi civitati (Megaræ) libertatem.* Dum hæc agit, Philosophi in mentem venit Stilponis, qui existimabatur vitam seclari

re tranquillam. Hunc accitum rogavit, nunquid rerum ipsius quisquam cepisset? Cui Stilpon; Nemo, inquit. Neminem enim vidi, scientiam qui eriperet. Ingenium ei simplex fuit, neque ulla simulatione fucatum. Athenis hominum animos ita ad se vertit, ut ad eum videndum ex officinis confluenter. Cumque dixisset quidam, Te, o Stilpo velut belluam admirantur, respondit: Minime, sed velut verum hominem.

In Philosophicis Summum Bonum Mentem esse, dicebat, nullis passionibus obnoxiam. Universalia plane tollebat, dicens, eum, qui hominem e.g. dicat, neminem dicere, quod non hunc, vel illum vox significet. Unum de alio praedicari posse negabat, nec etiam per accidens, nisi praedicata cum subjectis idem sint. Eristico igitur dicendi genere, doctrinæque, & disputationum subtilitate potentissimus cum esset, Megaricæ Scholæ princeps fuit, sibique, & patriæ magnum decus conciliavit.

Discipulos habuit frequentissimos, quos ex aliis quoque Sectis, imo & ex tota Græcia sibi addixit; eloquentia enim, & inventione longe alios antecessit: unde Oratores etiam celeberrimi, & ex aliis Scholis Philosophi ad ipsum audiendum confluabant. Et Heraclides ipsum etiam Zenonem Stoicæ Sectæ auctorem ejus discipulum fuisse, refert. Senex tandem mortuus est, ut ait Hermippus; scripsitque Dialogos 9. ut ex Laërtio, 20. ex Suida. Filium Philosophum post se reliquit, quem Laërtius Drysonem, Suidas Brysonem vocat.

### PHÆDO ELIACÆ SECTÆ AUTOR

**E**liensis, nobili genere ortus, à piratis captus lenoni venundatus est. Quem ad fornicis limen sedentem Socrates transiens cum vidisset, ejusque ingenuam faciem notasset, Alcibiadi, & Platonis, referente Laërtio, vel, ut Gell. 2. 18. habet, Cebeti persuasit, ut emeret eum. Ex illo igitur tempore assiduus Socratis auditor fuit, Platonique ita dilectus, ut Dialogorum suorum excellensissimum de Animæ Immortalitate ipsius nomine inscripserit. Sectam Philosopherum jam factus instituit, quæ à loco Eliaca dicta est. Dialogos scripsit, quos Laërtius numerat.

### P L I S T A N U S

**E**liensis, Phædonis in Eliaca Schola regenda successor extitit. Huic vero successit

### MENEDEMUS ERETRICÆ SECTÆ CAPUT.

**E**retrensis hic fuit, Clithenis, nobilis quidem, sed ex paupertate Architektonicæ operam dantis, filius, in qua arte ipse etiam à patre institutus est. Ab Eretrensiis Megaras missus, ut præsidio ibi esset, inde Athenas ad Platonem audiendum profectus est. Postea ab Asclepiade Phliasiō familiari suo Megaras ductus est, ubi Stilponem simul audivere. Tandem in Elidem profecti Archiphillum, & Moschum, Phædonis discipulos, præceptores habuerunt.

Philosophiam edocitus in patriam reversus est, quam etiam, Schola ad apta, docuit; sicque Eliaca secta, à Menedemo Eretriam translata, deinceps Eretrica dicta est. Menedemi eloquentia contentiosa maxime, teste Antisthene in Success. nam & ingenium ei versatile erat, ac tanta in orationis compositione vis, ut ipsi occurriere difficile foret. Propositiones Negantes tollens, Affirmantibus

tibus tantum locum dabat ; & ex his Simplices solum admittebat , rejectis iis , quas Conjunctiones , & Complexas vocabat ; itaque licet Platonis discipulus , Dialectices tamen contemtor ab Heraclide dicitur . In disputando adeo vehemens fuit , ut livida saepe facie visus fuerit . Nihil scripsit , teste Antigono Carystio , neque certum quidquam definitivit .

Asclepiadis , aetate majoris , semper in vita , & post mortem etiam amicissimus fuit ; itaut quidam Asclepiadis catamitus post ejus mortem Menedemi domum comessabundus ingressus , & a servis foras expulsus , ab ipso introductus fuerit , dicente , se Asclepiadem etiam mortuum admittere . Ambo pauperes cum essent , ab Areopagitis primum , deinde ab Archepoli , Hipponico , & Agestate pecuniam magna liberalitate suscepserunt ; & praeterea ab Hipponico Menedemus duo millia drachmarum in dotem filiarum , quas tres ab Oropia uxore suscepserat , teste Heraclide , accepit .

In patria initio pauper cum esset , ad contemptum *Canis* , & *stultus* appellabatur . Deinde magna omnium admiratione Remp. administravit ducentorum in annum stipendio . Legatione etiam ab Eretrienibus magno cum honore apud Ptolemaeum , Lysimachum , & Demetrium , Macedoniæ Reges , defunctus est ; quorum Antigonus se ejus etiam discipulum profitebatur .

Eius corporis , & animi haec descriptio . Staturæ erat mediocris , haud parum obesus , adusta facie , corporis labore , etiam in senectute , plane athletico , ut ex ejus statua affabre concinnata , & nudi corporis proportionem referente , ab Eretrienibus in veteri stadio posita , constare , Laertius affirmat . Magno animo fuit , & ingenuæ indolis , semper gravis , & in objurgando amarus , & vehemens , moribus cætera placidissimus ; amicitias vero pie , ac sancte coluit . De Bione , poëtas insestante , dicebat : *Ille mortuos jugulat* . Dicenti , maximum esse bonum potiri desideratis , respondit : *Multo majus est ea solum , quæ deceat , desiderare* . Tandem mortuus est apud Antigonum fame septem dierum præ mœrore , teste Antigono Carystio , quod a Rege perfectam patriæ libertatem impetrare non posset . Vixit an. 84.

His breviter de Socratis discipulis , qui ejus doctrinam vel integrum servaverunt , vel parum mutantes sectarum quidem , sed parvi momenti , autores fuere , adnotatis ; de iis , qui sectas magni nominis condidere , agendum est .

## C A P U T IV.

### *De Academia Veteri .*

**E**Socratis Schola tres illæ prodiere celeberrimæ Philosophorum Familiaæ , Academicorum scilicet , Stoicorum , & Peripateticorum . Academica autem Familia , sive secta sic dicta est a loco quodam suburbano , nemorofo , milie passus ab Athenis distante , qui ab Heroe Ecademo Ecademia dicta est , deinde vero , litera mutata , Academus appellatus , & locus Academia , & sectatores doctrinæ , quæ in hoc loco tradebatur , Academici vocati . Plutarchus in Theseo , ex Hermanni Crusieri conversione , ait , Heroem illum vocatum , fuisse Echedemum , & nomen ab illo quæsivisse Echedemiam , quæ nunc appellatur Academia ; additque , Academum a Theseo manifestatum Castori , & Polluci , ipsum ad Helenæ sororis raptum ulciscendum quærentibus . Hinc Lacedæmones , beneficii ab Ecademo accepti memores , dum Atticam incurserant , Academia abstinuerunt . Non pepercit tamen Sylla , qui ipsam devastavit . Notat Laertius , Platonem in Academiac limine inscripsisse : Δ'γεωμέτρησεν εδεις εισειτω .

*αστέρων : Geometri signarus nemo intret . Quod tamen alii Pythagoræ tribuunt . Hæc tamen Astronomica secta à Platone instituta secundum varias temporis successiones distincta est in Veterem , Medium , sive Secundam , Novam , sive Tertiā , Quartam , & Quintam . Sed à Veteri initium sit , cuius Princeps*

## P L A T O .

**M**agnus hic Philosophus Athenis nobili genere natus est Olymp. 88. ex Laertio , ex patre Aristone , & matre Perictione , sive , ut aliis dicitur , Potona , quæ à Solone ducebat originem . Fabula fuit vulgata nimis apud Athenienses , ut Suidas , aliquique referunt , Platonem Apollinis filium fuisse , ex Perictione conceptum . Hinc de Platone Tyndarus :

*Non est mortali genitus , mibi crede , parente ,  
Sed genitore Deo Satus prodixit in auram .*

Ælianuſ V. H. 10. 21. Olympiodorus in Vita Plat. & Val. Max. 1. 16. narrant , apes in Platonis adhuc infantis labellis in Hymetto monte mel fabricasse , dum pater , & mater ibi Musis , & Nymphis sacra facerent , eximiæ futuræ infantis facundiæ præsagium . Prima literarum rudimenta à Dionysio Grammatico didicit . Aristocles ex avi nomine primum vocatus , deinde , sive ob humeros latius patentes , sive ob frontis latitudinem , sive ob eloquii amplitudinem à patre Plato vocatus est . Picturæ etiam , & Poëseos instructus fuit ; plurima namque , & varia Poëmata concinnavit .

Vigesimo ætatis anno Socratem audivit , cuius dignus discipulus , & successor extitit , postquam octo annorum spatio Philosophiam ab ipso edoctus est ; quo tempore , sicut & reliqui Socratis discipuli fecerunt , quicquid à Præceptore audiverat , scriptis tradidit . Verum tamen est , Platonem multa , quæ Socrati nunquam dicta , de suo addidisse , itaut lecto Lyside , Platonis Dialogo , coram Socrate , hic exclamaverit : *Quam multa , ô Hercules , de me mentitur adolescens .* Apulejus , Laertius , & Suidas narrant , Socratem nocte præcedente diem , qua Plato ipsi à parte suo Aristone commendatus est , per somnum vidisse Cycni pullum ex altari , Cupidini in Academia consecrato , provolantem , & in gremio suo residentem , inde Cœlum petentem , & cantu hominum , Deorumque aures mulcentem . Socrate autem sequenti die amicis somnium narrante , oblatus ei est Plato adolescens ab Aristone , & in discipulum traditus ; cuius corporis naturam , & animi indolem contemplatus Socrates dixit : *Hic Cycnus est , amici , Cupidinis in Academia .*

Socrate tamen defuncto , *Parum putans* , ut August. 8. de C. D. 4. ait , perficiendæ Philosophiae sufficere seipsum , & Socraticam disciplinam , quam longe lateque potuit , peregrinatus est , quaqua versum eum alicajus nobilitate scientie percipiendæ fama rapiebat . Hinc in Heracliti , & Pythagoræ doctrina institutus , Cyrenas etiam ad Theodorum se contulit ad Geometriam addiscendam , & Megaram ad Euclidem è primis Socratis discipulis unum . Inde Ægyptum petiit , ut à Sacerdotibus Astrologiam , Numeros , Deorum doctrinam , & Prophetarum ritus acciperet . Ibi Præceptorem habuit Sechnuphidem Heliopolitanum , ut ait Clem. Alex. vel , ut ex Plutarcho , Chenuphim Memphitam . Mansit in Heliopoli annos 13. Mosen legendō , ex quo de Deo doctrinam didicit , unde & Divini nomen sortitus est . Quod probatur ex convenientia , quæ in plerisque Mosen inter & Platonem est . Hinc & illud Numenii Philosophi Pythagorei : *T' εστι Πλάτων , οὐ Μωϋσης ἀττικίζων ; Quid est Plato , nisi Moses atticissans ?* ut refert Clem. Alex. 1. Strom. Probatur etiam autoritate Aristobuli Judæi , ut ex Euseb. Præp. 9. 6. qui ait : *Plato nostras leges in haud paucis secutus est ,*

à quo curiose eas excusas fuisse, allegationes ejus sunt arguendo. Et Josephi l.2. c. Apion. ubi: *Plato nostrum maxime legislatorem est secundus*. Similia sunt apud Just. Martyr. Clem. Alex. Eusebium, & alios.

Libros etiam tres in Sicilia emit, quorum primus de naturali Philosophia erat, quosque Philolaus Pythagoreus primus omnium suæ sectæ fecerat, & evulgaverat. Ex his autem libris non pauca eorum, quæ in Timæo habet, Platonem haufisse, Laërtius, & Gellius affirmarunt. Multa ex Epicharmi Comici scriptis excerptis, ut ait Alcimus in 4. ad Amyntam libris. Reipublicæ formam ex Protagoræ Antilogicis; Moralem ex Sophronis mimographi libris; magis autem à Socrate Platonem accepisse, fatendum est. Vid. Laërt. 3. 18. & 37.

Ex Heracliti igitur, Pythagoræ, & Socratis doctrinis suam Plato Philosophiam composuit. Hinc August. de Civ. D. 8. 4. ait: *Socrates in Activa excelluisse memoratur: Pythagoras vero magis Contemplativæ, quibus potuit, intelligentiæ viribus, instituisse. Proinde Plato utrumque jungendo Philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit, unam Moralem, quæ maxime in actione versatur: alteram Naturalem, quæ Contemplationi deputata: tertiam Rationalem, qua verum differminatur à falso, &c.* Vid. Cic. Acad. Qu. 1. 5. & 6. & 8. Plut. Laërt. Apul. &c.

Plato Analyticam Methodum, Methodorum optimam, quæ rem, de qua quæritur, ad sua principia reducit, invenisse dicitur Laërtio 3. 24. Cubi duplicationem invenit; cuius inventi occasionem, & modum tradidere Plut. in Socratis Genio, & Philoponus in Analyt. Multa etiam Mathematica primus excoxitavit. Primus quoque inventor dicitur vocum *Antipodes*, *Poëma*, *Dei Providentia*, aliarumque; nec non *Principium inter*, & *Elementum distinctionem* primus posuit, ut Αρχὴ Principium sit, quo prius nihil existit, ex quo generatur; Στοιχῆαι vero Elementa (quam vocem ante ipsum nemo Philosophorum unquam usurpaverat) sint composita.

Sed ut de Platonis doctrina, qua nulla unquam celebrior aut visa, aut credita est, pauca hic ex ejus scriptis collecta proponam; sciendum in primis est, quod, Socratis methodo ipse insistens, omnia per Dialogos docuit, definitione, & divisione cuncta explicans. Imo in Cratylo ait, eum esse bonum Dialecticum, qui bene interrogare, & bene respondere noverit.

Physicam Philosophiæ partem non penitus, ut Socrates, aspernatus est; sed *Deum*, & *Materiem* pro rerum *Principiis* ponens, omnia per Simplices, Æternas, & Immutabiles Ideas (quas plurimi SS. PP. cum Aristotele, & Peripateticis impugnant) explicat. Et de Aristotele quidem hæc Cic. Acad. Qu. 1. 1. *Aristotelem primum labefactasse species, quas mirifice erat amplexatus Plato, ut in his quiddam divinum esse diceret. Quid autem per Ideas Plato senserit, non adhuc bene constat.* Videri potest Syrianus de Ideis contra Aristotem, & inter Recentiores, qui Platonicas Ideas propugnarunt, Joannes-Franciscus Picus Mirandulanus, & Franciscus Venetus lib. de Harmonia Mundi. Id tamen in Phædro ex ipso Platone habetur, *Veritatem esse Ideam: Ideam vero Ενώπια τε Θεού, Dei scilicet Intelligentiam, seu, quod Barbari dicunt, Λόγον τε Θεού, hoc est Dei Verbum, & Rationem. Eum vero, qui Ideas contemplatur, videturum esse Deum inter homines. Idearum locus per Platonem Mens est, Mensis vero Deus; quem vocat Χωραν Ιδεῶν, Regionem Idearum. Deum etiam Mentem, & Causam appellavit. Materiem dixit esse informem, & infinitam, ex qua concretiones fiant: quæ Materies, quum temere & inordinate moverentur, à Deo in locum unum coacta est; atque ex ejus motu, Terra, Aqua, Aër, & Ignis producta sunt.*

Præcipue ejus in hac Philosophiæ parte sententiæ sunt: Immortalis est Anima, quæ de corpore in corpus perpetuis vicibus migrat; & quæ initium habet à numeris. Hæc radius Divinitatis est, qui si suo principio, Deo scilicet, adhæreat, omnia cognoscere valet: corpori vero adhærens, ejus contactu inscitiam, & impuritatem acquirit. Ipsam rerum judicem, sensus vero ejus ministros dixit. Philosophiam ὄρεξιν τῆς θείας σοφίας, Appetitum divinæ sapientiæ; Philosophiæ vero Finem οὐμοίωσιν τῷ Θεῷ κατὰ τὸ διωκτόνον, Assimilationem Deo, quoad possibile, statuit. Mundum unum esse, genitum, nam & sensibilis est, à Deo conditum, sed animatum, quod præstantius sit quod animatum est, quam non animatum, & quod animato motui esset devinctus, & alligatus; non infinitum, sed immortalem, eo quod non dissolvatur in id, quod non est. Tempus nil aliud esse, quam motus Cœli, &c.

In Morali hæc potissima Platonis sunt: Virtus sufficit ad bene, beateque vivendum, indiget tamen instrumentis tum internis, ut sanitatem, robore, idque genus bonis aliis; tum externis, ut opibus, generis claritate, & cæteris hujusmodi: ea autem etsi non adfuerint, sapientem tamen esse beatum. Improbi delictorum pœnas post mortem luunt. Boni omnes inter se amici sunt. Justitia sunt genera, circa Deum, circa homines, & circa defunctos.

Agnovit Plato, unum esse Deum, eumque Spiritualem, & Invisibilem esse credidit, quem Τάγματον, Bonum ipsum, Patrem, & Caussam omnium, dixit. Ab hoc autem genitum fuisse Εὐχετέρον, ή Τάγματον ἐγένετον ανθροπον ταῦτα, Filium, quem Bonum sibi genuit analogum, hoc est; similem sibi ipse. Quod etiam ipse testatur l.6. de Rep. Et in Timæo quidem plures numerat post Summum Deos, à quibus humana sunt efficta corpora. Dæmonas idem statuit, & Heroas, quibus ipsis sacra fieri jussit. Alibi vero duos, & tres distinguit diverse Deos, è quibus primus est Parens cæterorum: Secundus Δημιουργός, ή Αἴτιος, Opifex, & Autor omnium, quæ sunt, & à primo genitus: Tertius denique obscure ab ipso significatus, à secundo gignitur, ejusque Λόγος, ή Νόης, Ratio, & Mens, & Anima Mundi dicitur.

Duo autem sunt, præter Timæum, Platonis loca, quæ ab antiquis Ecclesiæ PP. ad explicandam ex Platonis sententia Sanctissimam Triadem sunt usurpata. Alter locus est in Epist. 2. ad Dionysium, ubi διὰ αἰνῆμαν, ænigmatice, ut ipse loquitur, ad illum scribens ait: *Est autem ita: Circa omnium Regem cuncta sunt: ipsius caussa omnia: ipse pulchriorum omnium caussa: circa Secundum secunda: tertia circa Tertium.* Alter locus est in Ep. 6. ad Hermiam, &c. ubi duos Deos, Patrem scilicet, & Filium disertius significat, sic loquens: *Testando Deum, rerum omnium Ducem, quæ sunt, & quæ futuræ sunt; ac Dux, & Principii Patrem Dominum.*

Sed in tribus illis Platonis Diis constituendis non nihil invicem Platonici dissentunt. Non enim facile est intelligere quid senserit Plato in illis tribus Diis, quia pauca, & obscura de illis loquitur. Sed num veram, aut saltem aliquam Sanctissimæ Triadis doctrinam habuerit, quam ex Veteri Testamento apud Ægyptios accepisse multi cum antiquis Ecclesiæ PP. tradunt, videri potest fusius apud Petavium l.1. de Trinit.c.1. & Rudolfum Gudworthum in Vet. System. Intellectual. Universi c.4. Dignum, quod hic notetur, est, quod habet Clem. Alex. 5. Strom. Platonem scilicet veluti propheticè Christi Passionem prædictisse 2. de Rep. ubi hæc ait: *Qui autem sic est affectus justus, flagris cædetur, torquebitur, vincietur, & postremo omnia mala perpessus suspendetur.*

Platoni magnam gloriam attulit tum quod diserte adeo Philosophiam tractaverit, ut Jovem Platonis lingua usurum, si Græce loqui vellet, Val. Max. l.8. c.7. dixerit; tum etiam quod Dialogos primus methodo conscripsérit. Quicquid

quid contra sentiat Vossius, qui hæc illi vitio vertit. Primo, quod ejus dictio minus sit idonea ad philosophandum, quia metaphoris audacibus, ac plane Poëticis gaudet, quod præter alios testantur etiam, referente Vossio, Aristoteles, Dionysius Halicarnassensis, & Cicero in Bruto. Secundo, quod Pythagoreo, Ægyptioque more Symbolica saepe utitur Philosophia. Tertio, quod non aperte in Proœmiis proponit qua de re sit dicturus; quæ res ipsum obscuricrem facit. De ejus tamen doctrina ita sentit Hesychius Illustris: *Plato quæ percepit, differit, ac falsa diluit, ac de incertis definire supersedet.* At Cic. i. Acad. Qu. in fine de Platone loquens ait: *Cujus in libris nihil affirmatur, & in utramque partem multa differuntur; de omnibus queritur, nihil certi dicitur.*

Omnia, ut diximus, per Dialogos scripsit, qui sunt: In Physica, Timæus. In Logica, Politicus, Cratylus, Parmenides, Sophista. In Ethica, Apologia Socratis, Crito, Phædo, Phædrus, Symposium, Menexenus, Clitophon, Epistola, Philebus, Hipparchus, Rivaies. In Politica, De Republica, de Legibus, Minoës, Epinomides, Atlanticus. Maeuticos Dialogos scripsit, Alcibiadem, Theagem, Lysidem, Lachetem. Pirasticos, Eutypbronem, Menonem, Jonem, Charmidem, Theætetum. Endicticum, Protagoram. Anatrepticos, Eutbydemum, Hippiam primum, Hippiam secundum, Gorgiam primum, Gorgiam secundum. In his igitur omnis Philosophia Platonis traditur; cujus doctrinam legere est apud cit. Autores Cic. Laërt. Plut. Apul. atque alios. Doctrinæ Platonis Lineamenta scripsit Alcinous; Dissertationem etiam Platonicam edidit Johannes Picus, Comes Mirandulæ, qua explicavit Hieronymi Benivieni Florentini Hymnum in Amorem, quam ex Italico in Latinum versam vide apud Stanlejum in Hist. Philos. in vita Platonis; ubi etiam Alcinoi, Platonis discipuli, Compendium Platonicæ Philosophiæ, quod Marsilius Ficinus latinum fecerat, & Jacobus Charpartier correctum, & Commentariis lectu dignis illustratum publici juris fecit, videre est.

Platonis Philosophiam præ cæteris, qui fere innumeris priscis, recentioribusque temporibus memorantur, veteres Ecclesiæ PP. tanquam Fidei nostræ dogmatis magis conformem, sectati sunt. Imo S. Justinus dixisse fertur: *Pauca à Platone deme, & Christianum habebis.*

Virtutes, quas docuit, mite semper coluit, Cœlibatum præcipue ad mortem usque. Mitis, gravis, prudens, sobrius, & patiens ita fuit, ut servum verberaturus, manum suspensam detinens, verberanti similis, & non percutiens, interrogatus ab amico illic præsente quid ageret, responderit: *Eigo pœnas ab homine iracundo.* Alias etiam, servo iratus, dixit: *Tu, Speusippe, servulum istum verberibus objurga, nam ego irascor.* Vid. Senec. de Ira 3. 12. Agrigentinos in ædificiis magnificos, in conviviis luxuriosos videns ait: *Ædificant quasi semper victuri, & comedunt quasi statim morituri.* Juvenes ad virtutes his verbis excitare solebat: *Momentaneam in hoc Mundo voluptatem æterna mox sequitur tristitia, & pœnitentia; virtutis vero exiguum laborem æterna voluptas excipit.* Interrogatus, *Quæ optima liberis relinquenda hæreditas?* respondit: *Ea, cui neque tempestas metuenda, neque hominum vis, neque Jupiter ipse.* Quid doctus, & indocetus differunt? interrogatus, respondit: *Quod medicum inter, & ægrotum.* Dicebat, Prudentiam Principi, ut Animam corpori, necessariam esse: Felicissimam Rempublicam esse, ubi vel Philosophi imperent, vel imperantes philosophentur: *Nil noxiū magis, quam opes, & arrogantiam cum ignorantia conjunctas.*

Tandem senio confectus obiit anno primo Olymp. 108. ætatis vero suæ 81. Ipsius statuam in Academia cum hac inscriptione posuit Mithridates Persa, teste Pha-

Phavorino: *Mitbridates, Rhodobatæ filius, Persa, hoc Signum Platonis à Sianione factum Musis dedicavit.*

## S P E U S I P P U S

**P**latonis successor natus est Athenis ex Eurymedonte, & Potona Platonis sorore. Platone Olymp. 108. anno primo jam vita functo, Academiæ scholam suscepit, cui præfuit annos octo, Avunculi sui Platonis dogmata secutus. Quia φιλοχεριστὸς erat, διδαχτέον à discipulis, secus ac Plato fecerat, exigens, mercede semper docuit. Hinc Dionysius ad eum mordaciter scribens ait: *Et Plato quidem gratis sua limina terentes docuit; tu vero tributa & à volentibus, & à nolentibus accipis.* Iracundus, ac voluptati deditus fuit. Beatitudinem dicebat esse perfectum habitum in iis, quæ sunt secundum naturam. Cum autem paralyssi corpus illi omne resolutum esset, accersitum Xenocratem Platonis discipulum, oravit, ut sibi in docendo succederet. Tandem mortuus est sive ex morbo pediculari, ut ait Laërt. sive ex moerore, quo voluntariam sibi mortem concivit, ex Plutarcho; multa de rebus Philosophicis Commentaria, sive Dialogos relinquens, de quibus Laërt. Ejus vero libros Aristotelem tribus talentis emisse, Phavor. Coment. 2. refert.

## X E N O C R A T E S

**C**halcedonius, Agathonis, sive Agathenoris filius, natus est anno 4. Olymp. 95. Severa fronte, & subtristi facie fuit, ingenio hebes, & adeo tardus, ut cum Plato Aristoteli illum conferret, diceret: *Cui equo quem asinum jungo!* alter enim fræno, alter calcaribus egebat. Speusippo condiscipulo suo in Academiæ Schola successit, ubi fere semper morabatur meditationi, & silentio deditus. Aristoteles ex Macedonia redux, referente Laërt. 5. 3. & Xenocratem Academiæ Præfustum inveniens, scholam ei in Lyceo opposuit, dicens: *Silere turpe me, & Xenocratem loqui.*

Vixit summe continens, ut & nobile scortum à discipulis ad probandum suam continentiam in lectulo positum non agnoverit: imo sunt, qui narrant, eum saepius verenda secari, & uri passum esse, cum se ad libidinem incitari sentiebat. Tanta ejus verbis fides habebatur, ut cum injurati nullius testimonium admitteretur, huic soli jusjurandum Athenienses remiserint: imo & Plato iurantibus non credidit, Xenocratem ei maledixisse. Divitiarum contemtor ed fuit, ut donum 50. talentorum ab Alexandro sibi missum, 30. minis Atticis acceptis, reliquum ad Alexandrum remiserit, ut qui plures enutrire deberet; pecuniam vero, quam Antipater, aliquique miserunt, penitus non suscepit. Missus cum aliis legatis ad Philippum, solus ex omnibus incorruptus mansit. Gloriæ item, & fastus summe contemtor fuit.

Platonem in Philosophicis fecutus est; nisi quod ex Stob. Ecl. Phys. 1. 3. habemus, ipsum dixisse, Monadem, & Binarium Deos esse, primumque matrem, ac parentem Cœli tenere imperium, quem Jovem, Imparem quoque, & Mentem appellabat. Alterum femininum, & matrem omnium, quæ sub Cœlo sunt, præsidem; quem Universi Mentem vocavit. Et ex Clem. Alex. Str. 5. habemus, ipsum brutis etiam animalibus aliquam Dei notitiam tribuisse. Beatitudinem definit propriæ virtutis possessionem, & ejus, quæ inservit, facultatis. Scripsit plurima, quorum Elenchum habet Laërt. in ejus vita; præcipue vero *De non petendo ex animalibus alimento.*

Xenocrates scriptum reliquit, in templo Eleusiniæ tria hæc præcepta inscri-

scripta fuisse: *Venerandos Deos; Honorandos Parentes; & Abstinendum à carnium esu.* Hanc deinde edulii puritatem Porphyrius, Pythagorici omnes cum multis Græcorum, Brachmanæ, & Gymnosophistæ servarunt, & defenderunt. Xenocratem audivit præter alios Crantor Solensis, qui Commentaria ad plura versuum millia scripta reliquit. Venditus dicitur Xenocrates ab Atheniensibus, quod tributum solvendo non fuerit; sed à Demetrio Phalereo emtus, tributo pro ipso soluto Atheniensibus, libertate donatus est. Academiæ præfuit annos 25. ex Laërtio, & mortuus est noctu, cum in pelvim forte incidisset, ibi submersus, anno ætatis suæ 82.

## P O L E M O

**A**Theniensis ex patre Philostrato, sive, ut ex Suida, Philocrate, ex primariis civibus uno, natus, vix adolescens impudicus, & lubricus adeo fuit, ut ne dum illecebris, omnique venere, sed ipsa quoque infamia gauderet. Fatum autem, ut aliquando vino gravis, unguentis delibutus, capite sertis redimito, pellucida amictus veste, Xenocratis scholam intraret. Tum Xenocrates, omissis iis, de quibus loquebatur, de Modestia, & Temperantia loqui cœpit: cuius gravitate sermonis resipiscere coactus, Veneris insignia ibi deponens, & saluberrima unius orationis medicina sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus evasit; Xenocratis enim Philosophiæ addictus studiis, cæteris superatis, illi in Scholæ regimine successit anno 1. Olymp. 116.

In omnibus igitur mutatus, urbanus cum adjuncta severa constantia factus est. In Philosophicis Præceptorem sequebatur; ad moralem tamen potius, quam Dialecticas speculationes incumbendum dicebat: Mundum esse Deum, ex Stob. Ecl. Phys. 1. 3. Summum bonum, ex Cic. de Fin. 4. 6. esse vivere secundum naturam. Tandem ex phthisi mortuus est senex, variis relictis opusculis.

## C R A T E S

**P**olemonis discipulus, amator, & in Academiæ schola successor, Athenis ex patre Antigene natus est. Ita quidem invicem Xenocrates, & Crates sibi profuere, ut ne dum viventes eadem studia sint secuti, similesque mores expresserint, sed mortui etiam eodem tumulo sint depositi. Libros reliquit philosophicos; de Comœdia; & Orationes. Quia circa Homeri grammatica, & poëtica nimis occupabatur, Homericus dictus est. Mortuus dicitur circa annum ab U. C. 526. non multo ante Christum natum.

Atque hæc de Veteri Academia, quæ Platonis vestigiis insistens, quæ caperet, definiebat, quæ vero non caperet, incerta relinquebat.

## C A P U T V.

## De Academia Media.

**U**bi Zeno Polemonis discipulus, qui Arcesilao ætate præibat, Platonis doctrinæ nimia in differendo subtilitate se opposuit; Arcesilaus, Zenonis contradicere volens, prudenter Academiæ placita dissimulavit, ne Platonis mysteria publicata apud vulgum vilescerent prostituta. Hinc Secta illa ortum duxit, quæ à loco Academia, sed Secunda, & Media ad distinctionem Primæ, seu Veteris, & Tertiæ, seu Novæ, de qua infra. Cic. tamen Acad. Qu. I. 12. Medium hanc Academiam Novæ nomine appellavit.

Lon-

Longe tamen alia mens erat Academiæ Mediæ ab ea , quæ Veteris fuerat. Hæc enim duo rerum genera statuebat , Sensibilium scilicet , quæ sensibus , & Intelligibilium , quæ intellectu percipiuntur ; posterius quidem genus scientiam parere ; prius vero opinionem : solamque mentem cernere id , quod semper esset simplex , & uniusmodi , & tale , quale esset , hoc est ideas . Contra vero illa , Media scilicet Academia , Α'καταληπτικαν , καὶ Α'ποχεών , hoc est Incomprehensibilitatem , & Assensus retentionem , ut Cic. ait , induxit . Omnes itaque huic Sectæ addicti nihil percipi posse dicebant , ne illud quidem , quod Socrates dicebat , Se nihil scire ; sic omnia in occulto latere censebant , neque esse quidquam , quod cerni , aut intelligi possit ; quare in omnibus assensum negabant , unde Α'καταληπτικοι , καὶ Ε'φεκτικοι dicti sunt .

Hoc tamen inter hos Academicos , atque Scepticos discrimen erat , quod illi quidquam comprehendi posse negabant ; sed verum , & falsum à rebus ipsis non tollebant , & alia quidem vera , alia vero falsa esse defendebant ; at Sceptici ad utrumque res indifferentes esse , & utramque partem ratione defendi posse statuebant . Notandum tamen hic est , ex Divo Augusto l.3.adv. Acad. hujus Mediæ Academiæ assecelas omnia Platonis dogmata retinuisse , & defendisse , atque cum iis postremo communicasse , quibus in ea Secta consenserere visum esset ; Incomprehensibilitatem vero , & Assensus retentionem potius affectasse , ut Platonis doctrina occultaretur . Hujus autem Mediæ Academiæ caput , & inventor fuit

### A R C E S I L A U S

**P**itanæus , quia Pitane Æolica civitate ortus ex patre Seuto , ut Apollod. Chron. 3. ait , vel Scytha , ut aliis dicitur . Hic idem est , qui à Cic. Arcesillas passim appellatur . Natus traditur anno 1 Olymp. 134. Ex Pitane Sardes primum venit cum Autolyco , suo in Mathesi præceptore : deinde vero Athenas veniens Musicam à Xantho , Geometriam ab Hipponico , aliasque ibi cum Rhetorica disciplinas , edoctus est . Philosophiæ tandem se addixit , in qua Polemonem , Crantorem , & Cratetem præceptores habuit .

Hic omnem Philosophiam evertisse dicitur Ciceroni 5. de Fin. quod genus Philosophiæ *ἀσύγατον* , hoc est quod subsistere non potest , induxit , asserens ; nihil sciri posse , nam nihil certum in rebus , nec verum cognoscitur ; ac proinde omnem opinionem in illis sustineri posse . Hic omnem spem , ut Seneca ait , scientiæ eripuit , æque de omnibus sententiam suspendendo . Et Cic. Acad. Qu. 4. de ejus sectariis dixit : *Obsistere vixi , assensusque suos firme sustinere* . Socratis methodum docendi per interrogationem , & responsionem , quæ fere jam in desuetudinem abierat , restituit . Semper hoc verbo utebatur in disserendo : *Arbitror equidem* . Et : *Non assentietur istis ille* . Præcipua illi erat inventionis felicitas ; magna in persuadendo , quæ vellet , acrimonia ; in reprehendendo asperitas ; & in suis rebus communicandis summa facilitas . Atque hinc factum est , ut ad eum audiendum confluenter quamplurimi . Omne fere tempus in Academia vixit , Reip. negotia fugiens . Plutarchus in Arato ait , hujus discipulum suisse Ecdelum ; cuius verba sunt : *Ecdelus Arcas , Megalopolitanus Philosophus , & impiger , Arcesilai Academicorum quondam Athenis auditor* .

Uxorem nunquam duxit , aut filios genuit . Erat autem amoribus deditissimus , nam & meretrices publice adamabat , & adolescentum commercia ambiebat . Unde hoc illi vitio vertere solebat Aristoteles , secta Stoicus , quodd Παιδεραστής , Κινουδολόγος , καὶ φθορεὺς τῶν νέων , hoc est juvenum amator , & corruptor , & disertus impudicus esset .

Liberalissimus, & ad beneficia ferenda promptissimus cum esset, hæc latere magis, quam divulgari curabat. Hinc saepe amicos ægrotos, & inopes visitans, nummos sub pulvinar reponebat: à gloria enim, & fastu abhorrebat. Dicere solebat; *Ubi medicamentorum, & Medicorum copia, ibi plurimos morbos esse contingit; & ubi plurimæ leges, ibi summa iniquitas est.* Et Stob. Serm. 81. & 93. hæc Arcesilai dicta notavit: *Dialecticam fuge, susque deque confundit omnia.* Similes item Dialectici sunt ludentibus alea, qui decipiuntur quidem, sed non sine delectatione. Paupertas ut Ithaca aspera est, sed optima prolis nutritrix, ut quæ affuefaciat frugalitati, & abstinentiæ, & omnis virtutis optima sit palæstra.

Tandem mortuus est, ut Hermippus ait, in delirio post immodicum merita haustum anno æt. 75. Olymp. 135. anno 4.

## L A C Y D E S.

**C**Yrenæus, Alexandri filius, Arcesilai discipulus, & successor fuit. Ab adolescentia bonarum artium studiis addictus, pauper quidem, sed studiosus, eximiæ exemplum gravitatis, venustatis, & urbanitatis dedit. Arcesilao mortuo, Academiæ successit Lacydes, à quo discipuli Lacydeani dicti sunt. Numenius, ut est apud Euseb. Præp. 14. 7. refert, Lacydem Mediæ Academiæ sententiam, quod nihil sensu affequi possit, hoc probare argumento conatum esse: *Quomodo certo sensibus quippiam comprehendere posse existimem, qui toties bis meis sensibus deceptum me norim? Domo enim si quando egredior, oculis meis videre me puto ea in cella mea relinquiri, quorum rediens invenio nihil, quod fieri haud posset, nisi fallerent sensus, atque incertitudine laborarent.* Ipse tamen non deprehendebat, servos clanculum domum spoliaffe.

Adhuc vivens, postquam Scholæ 26. annos præfuit, hoc docendi munere se abdicavit, discipulisque suis Telecli, & Evandro Phocensisbus ipsam Academiam regendam tradidit anno 2. Olymp. 141. quo anno etiam in paralysin ex vini excessu incidens mortuus est. Et quidem ipsum, & Timonem philosophos, ambos potentissimis accenset potatoribus Ælian. Var. Hist. 2. 41. Unde Athen. 1. 10. jucundum hoc de Lacyde narrat, quod cum in Timonem uno haustu poculum siccare imparem incidisset, ac illud secunda vice ori adinovere cum vidisset, Homericò hoc versu sic luderet:

*Quām miseri nostris opponunt viribus arma.*

Novæ Academiæ inventorem Lacydem faciunt Laërt. & Suid. sed Cic. Clem. Alex. Sext. Empir. & alii rectius non hunc, sed Carneadem, quartum ab Arcesilao, affirmant. Numenius apud Euseb. Præp. 14. 7. refert, Lacydem Philosophicos libros, & de Natura scriptisse. Lacydi, ut dictum est, successit discipulus ejus Evander; Evandro suus discipulus Hegesinus Pergamenus, quem Vossius Hegesippum, & Clem. Alex. Hegesilaum vocat: Hegesino denique Caïnades Novæ Acad. institutor.

## C A P U T VI.

*De Academia Nova.*

**N**OVA hæc Academia à Media in hoc differt, quod Media quidem à rebus verum tollebat; Nova vero aliquid verum esse, falsumve fatebatur; sed negabat esse in nobis Κερτησιον, sive artem judicandi, verumque à falso dicendi: nihil enim absolute verum esse, dicebat. Hinc Cic. qui Novæ huic

Acad.

Academiæ addicetus erat, ut videre est in Acad. Qu. I. i. ait: *Veri esse aliquid non negamus, percipi nosse negamus.* Et idem alibi: *Non enim sumus si, quibus nihil verum esse videatur; sed qui omnibus veris falsa quædam adjuncta esse dicamus tanta similitudine, ut nulla insit certa judicandi, & discernendi nota.* Vide Cic. Acad. Qu. 4. Numen. apud Euseb. Præp. 14. Sext. Empir. adversus Mathematicos, atque alios. Hujus autem Academiæ autor fuit

## CARNEADES

**C**Yrenæus, quartus, ut diximus, ab Arcesilao, Hegesino successit, Novamente condidit Academiam. Patrem habuit Epicomum, sive Philocomum. Tam violenta, & rapida fuit facundia præditus, ut quod semel ratione probaverat, contraria posset ratione suadere. Quod potissimum tunc ab eo factum, memorat Laëtant. cum Romam legatus ab Atheniensibus missus una cum Critolao, & Diogene Philosophis, copiose de Justitia disputavit, audiente Galba, & Catone Censorio, maximis tunc oratoribus: quam suam de Justitia disputationem postridie contraria disputatione subvertit, & Justitiam, quam pridie laudaverat, sustulit; quod ille facere solebat, ut alios quidlibet afferentes posset refutare. Quam disputationem contra Justitiam L. Furius apud Cic. narrat. Vide etiam Plutarchum in M. Catone Majore, ubi hæc de Carneade, dum legatus Romæ esset, & una cum Diogene conciones haberet. *Hos illico studiosissimi quique adolescentes adibant, frequentesque audiebant, & celebrabant. Carneades lepos præcipue, cuius magna vis, & ea vi non inferius erat nomen, cum insignes, & benignos auditores nactus esset, instar venti urbem sonitu complevit, vulgatumque fuit, virum Græcum ad miraculum usque eximium omnia delinientem, & allicientem, mirum infudisse juventuti ardorem, per quem reliquarum voluptatum, & oblectamentorum obliti, quasi fanatici raperentur ad Philosophiam. Cum ea res cæteris placeret Romanis, atque adolescentiam libenter viderent literis Græcis imbui, & excellentibus viris uti; Cato à primo, ubi influxit in Urbem Græcarum disciplinarum admiratio, stomachabatur, veritus, ne juventus eò converteret studium, atque eloquentiæ gloriam rebus gerendis, atque disciplinæ militari anteferret. Ut vero in Urbe nomen increvit horum Philosophorum &c. censuit, omnes Philosophos ab Urbe honesta specie ablegandos: atque &c*

Hic Physicam parum curans, Ethicæ magis se devovit, cui tanta diligentia vacabat, ut comæ, unguiumque cura neglecta, squalorem utraque parte contraheret, ut ait Laërt. 4. 62. Imo tam fortiter quandoque mens suis cogitationibus inhærebat, ut manum, referente Val. Max. ad mensam, cui assidebat, apponere oblivisceretur. Adeo tamen hic summæ industriæ vir Philosophia valebat, ut oratores etiam, scholis dimissis, ad ipsum audiendum convenirent. Vox illi plane stertorea, unde monenti cuidam, *ne clamaret tantopere*, respondit: *Da vocis modum, orationem quo metiar.* Acriter invehebatur, atque in quæstionibus erat insuperabilis. Convivia ob studii assiduitatem vitabat.

Refert Gellius 17. 15. Carneadem contra Chrysippum disputaturum helleboro animum deteruisse, ut ad inventionem valeret, & ne corrupti stomachi humores animi vim, atque constantiam extinguerent. Nihil molestum magis esse dicebat, quam quod inexpectatum eveniat. Morti proximus indignabundus dicere solebat: *Ea ne, quæ constituit natura, & compedit, eadem & dissolvit.* Unde sumto veneno, ultimum diem obiit an. ætatis 85. ex Laërt. 90. ex Cic. anno 4. Olymp. 162. ex Apollodoro insigne tunc Luna passa deliquum, ut narrat Laërt.

De Carneade hæc Cic. Acad. Qu. 4. Reliquit Carneades hujusmodi visa (φαντασίας) quibus ad actionem excitemur: item ea, quæ in utramque partem interrogati respondere possimus, sequentes tantummodo, quod ita visum sit, dum sine assensu. Et Acad. Qu. 2. Duo placent esse Carneadi visorum genera; in uno banc divisionem: alia visa esse, quæ percipi possint, alta, quæ non possint: in altero autem alia visa esse probabilita, alia non probabilia &c. Epistolas ad Aria-  
xathem Cappadociæ Regem scripsit.

## CLITOMACHUS

**C**arthaginensis, Diogneti filius, annos natus 40. Athenas venit, ubi Carneadem audivit, cum quo usque ad senectutem, teste Cic. Acad. Q. 4. fuit, cujus opera tantum in Philosophia profecit, ut ultra 40. volumina concripserit, & Præceptor in Academia successerit, ejusque scripta illustraverit. In suis scriptis non minus ingenii Clitomachus ostendit, quam Carneades eloquentiae, ut notat Cic. l. c. In tribus maxime Sectis versatus est, Academicorum, Peripateticorum, & Stoicorum. Hinc Cic. Acad. Qu. 4. eum acutum appellat ut Pœnum. Rhetoricae infensissimus hostis, sicut de Critolao Peripatetico, & de Charmida refert Sext. Emp. adversus Rhetor. p. 68. ipsam fumigopere damnabat. Ex ejus libris sequentes tantum à Cic. Tusc. Qu. 3. & Acad. Qu. 4. superstites numerantur: Consolatio, quam ad cives suos sub Romanis armis, eversa Carthagine, captivos misit: Liber ad C. Lucilium Poëtam, & ad L. Censorinum de assensionis suspensione: & alios libros 4. de sustinendis assen-  
tionibus.

## CAPUT VII.

*De reliquis Academiis, & Academicis.*

## PHILO.

**Q**ui Clitomacho succedit Philo Laryssæus, suus per complures annos discipulus, & Ciceronis præceptor, Quartam condidit Academiam, ex Sexto Empirico. Philo, ut notat Cic. Acad. Qu. 1. 4. negavit, duas esse Academias, erroremque eorum, qui ita putarunt, redarguit. Philone vidente, Academæ patrocinium non defuit, quem etiam Romani, teste Plut. in Vit. Cic. super omnes Clitomachi discipulos admirati sunt ob morum excellentiam, & sermonum suavitatem.

Hic Philosophum Medico similem esse dicebat; res autem omnes esse incomprehensibiles: ipsas tamen in seipsis spectatas comprehendendi, minime repugnare; ut Sext. Emp. notat.

## ANTIOCHUS

**A**Scalonita, L. Luculli, & Attici familiaris, Ciceronis vero, dum Athenis esset, etiam præceptor, Aristi frater, & Philonis discipulus, & successor fuit. Hic, teste Plut. in Vit. Cic. sive ex sensuum evidentia, sive ex ambitione, & æmulatione Clitomachiorum, & Philoniorum, à Carneadis secta defecit. Hinc à Sext. Emp. Quintæ Academæ autor dicitur. Sed quamvis Academicus appellaretur, erat tamen, ex Cic. Acad. Q. 4. 43. si pauca mutasset, Stoicis germanissimus. Unde dictum à Sext. Emp. l. c. ipsum Stoicam Philosophiam in media

media Academia docuisse; Stoicas enim doctrinas à Platone traditas esse ostendebat. Senex jam factus ad Veterem Academiam rediit, antiquorum sententiam diligentissime prosecutus, Aristotelis præcipue, & Xenocratis, ut ait Cicero & Fin. Idem Cic. de Nat. Deor. 1. 7. refert, Antiochum existimasse, Stoicos, & Peripateticos verbis tantum invicem discrepare, re autem consentire, quo spectare Ciceroni videtur liber ille, qui ad Balbum ab eo missus est. Alterum idem scripsit librum adversus præceptorem suum Philonem, qui *Sosus* inscribitur, ut narrat idem Cicero 4. Acad. Q. 4. & 4. 35. ipsum plus novitatis, quam doctrinæ invexisse, dicit, licet acutissimum, & politissimum suæ memoriæ Philosophorum pronunciet. Atque hæc de Academicis, qui Platoni in Academia successerunt. Nam qui post toties variatam Academiam Platonis dogmatis insistebant, non Academicici, sed Platonici dici maluerunt. Tales è Latinis fuerunt Apuleius, & Chalcidius, Maximus Tyrius, & Syrianus Alexandrinus, & Philo Judæus. Nemo tamen Latinorum laudabilem magis Platoni operam dedit, quam Marsilius Ficinus. De Apulejo hæc habet August. de Civ. D. I. 8. c. 12. *In utraque lingua Apulejus Afer Platonicus extitit nobilis.* Hujus extat liber de Dogmate Platonis. Chalcidius Commentarium scripsit in Timæum. August. I. c. etiam Plotinum, Jamblicum, & Porphyrium inter Platonicos recenset, dum ait: *Ex Platonici valde nobilitati Græci Plotinus, Jamblicus, & Porphyrius.* Verum hi Eclectici potius fuere, quam Platonici, sicut & Syrianus, & Proclus, de quibus in fine hujus libri, ubi de Eclecticis.

Inter Platonicos numeranda etiam est HYPATIA, Theonis filia, Alexandrina, quæ sec. 5. Alexandriæ Platoniam Philosophiam magna sui nominis fama, & auditorum concursu publice docuit, omnes sui temporis philosophos morum probitate, & Philosophiæ doctrina antecellens. Hujus se discipulum fateatur Synesius Episcopus, quam magni semper fecit, non secus ac reliqui fere omnes in Philosophicis scientiis eruditæ. Solus Divus Cyrillus, Alexandriæ Episcopus ipsam odio habebat, sed hac solum de causa, quod Platoniam Philosophiam diceret, quam ipse summe oderat. Hinc cum hæc Hypatia in publica seditione an. Christi 415. necata esset, impius Suidas non est veritus dicere, ipsam Episcopi Synesii jussu peremptam fuisse. Vide Socratem Hist. Eccles. I. 7. c. 5. Vossium de Philos. atque alios.

## C A P U T   V I I .

### *De Philosophis Peripateticis.*

HACTENUS de Academicis; veniendum nunc ad Peripateticos, qui etiam è Platonis Schola per Aristotelem originem habent. Hujus autem sectæ Philosophi Aristotelici ab Aristotele sectæ autore, & Peripatetici à Peripato, ubi ille docebat, dicti sunt. Videndum igitur primo nunc est, quis, ac qualis fuerit Magnus Peripateticorum Princeps.

## A R I S T O T E L E S

Natus Stagiræ, quæ Thraciæ oppidum dicitur ab Herodoto, Thucydide, Pausania, & Suida; Macedonia vero Urbs ab aliis, qui Barbari opprobrium ab Aristotele depellere conantur; aliis tandem ea dicitur ad Strymonam fluvium sita, Macedoniam, Thraciamque distinguens. Patrem habuit Nicomachum Medicum, Machaonis filium (cujus Medicam artem Homerus laudat) Amyntæ



Amyntæ Macedonum Regis Medicum , & familiarem ; matrem vero Phæstidem , sive Phæstiadem , quæ , non secus ac Nicomachus , ab Æsculapio originem ducebat , ut testatur Ammonius in Vit. Aristot. horum versuum testimonio usus :

*Nicomacho genitus fuit hic Patre , Phæstide matre  
( Ambo Asclepiadæ ) divus Aristoteles .*

Natalis autem tempus ab Apollod. in Chronic. Dionys. Halicarn. & aliis traditur an. I. Olymp. 99. anno scilicet post natum Platonem 44.

Post patris , matrisque obitum educatus fuit , teste Ammon. in Vit. ab Atarnensi quodam Proxeno , cui deinde ipse , ut grati animi testimonium daret , statuam posuit , quod ejus etiam uxori fecit ; filiumque eorum Nicanorem omni disciplinarum genere erudivit , in filium adoptavit , ac generum , & hæredem fecit .

Platonem 17. ætatis anno audivit , à quo potissima suæ doctrinæ dogmata mutuatus est , sub cujus disciplina ad præceptoris obitum usque fuit , annis scilicet 20. Platoni objingenii acumen , & in studiis diligentiam carissimus , & commendatissimus fuit : quare ipsum , referente Philopono , Νοῦν τῆς διατελεῖται , Mensem Scholæ appellabat ; eoque absente dicere solebat : Intellectus abest , surdum est auditorium ; sive , ut Rhodiginus habet : Philosophum veritatis abesse . Alii vero contra cum Ælian. 3. 19. afferunt , Platonem inter & Aristotelem magnam fuisse animorum dissensionem , eo quod Plato Aristotelem corriperet , splendidae vestem , annulosque gestantem , calceis preciosis , tonsaque coma utentem , & quod acris , ac pertinax in contradicendo esset . Unde factum dicunt , ut cum Plato ob eam caussam Speusippum , Xenocratem , aliosque discipulos Aristoteli in Scholæ successione præferret , hic Platonis adversam in Lyceo scholam erexerit . Quare Plato dicere solebat : Aristoteles in nos haud secus ac in matres equorum pulli , recalcitravit ; hinc Aristotelem plerumque pullum appellabat .

Verum Ammonius in Vita affirmat , Aristotelem non Platonis , sed Platonis scripta male interpretantibus , & pervertentibus contradixisse ; nam & idem Plato præceptoris sui Socratis vestigiis non in omnibus inhærebat , dicens : Amicus Socrates , sed magis amica veritas ; & alibi idem Plato : Non æque Socratis attendenda sunt dicta , quam veritati studendum . Imo aram etiam Platonis erexit , ut ait cit. Ammon. cum hac inscriptione :

*Gratus Aristoteles struit hoc altare Platonis ,  
Quem turbæ injustæ vel celebrare nefas .*

Ad Philippum Macedonum Regem , ut Alexandrum filium in liberalibus disciplinis erudiret , invitantem in Macedoniam se contulit an. 4. Olymp. 108. ut testatur Apollod. & Dionys. Halicarnass. quo tempore Alexander 15. annum agebat ; ibique in ejus institutione moratus est annos octo . Quo tempore magna apud Philippum , uxoremque Olympiada , & Alexandrum autoritate , & familiaritate fuit ; itaut non solum ipsi statuam ei erexerint , Stagiram restauraverint ; sed æqualem fere in regno administrando partem ipsi Philippus tribuerit . Imo in epistola ab eodem illi scripta , referente Gellio , cum ad filium instituendum invitabat , hæc verba notantur : Diis itaque gratias ago , non tam quod natus ille sit mihi , quam quod tua sit natus ætate . Plutarchus ait , Aristotelem præter Philosophiam , aliasque liberales artes , etiam Medicinam Alexandrum docuisse , & Homericam Iliadem , quam optimam ad virtutem militarem institutionem appellabat , à se correctam ipsi tradidisse , qui deinde illam maximo semper in precio habuit . Plutarchi verba in Alexandro sunt : Ego quidem arbitror , Medicinæ quoque studio imbutum ab Aristotele Alexandrum . Namque non tantum

tantum *commentatione ejus delectabatur*, verum multis etiam amicis succurrit in morbis, præscripsitque certa remedia, & rationem vietus. Quod ex epistolis ejus discas. Librum etiam ad Alexandrum scripsit, quo eum in imperandi arte institueret; cuius Laërt. & Ammonius meminere. Hinc est, quod Alexander ab Aristotele in omnibus tam bene eruditus ipsum æque ac patrem diligebat, dicens; *A patre, ut viveret, ab Aristotele verò, ut bene viveret, se habere.*

Ubi vero Alexandro instituendo per annos octo fatis sibi visus est navasse operam, Athenas rediit, ubi Academiam à Xenocrate occupatam videns, Lyceum sibi an. 2. Olymp. 111. in Scholam elegit, ibique quotidie deambulans usque ad horam, qua ungi Græci solebant, quod ante cœnam fieri mos erat, Philosophiam docebat; hinc à Deambulando, quod Græcis est Περιπατητικόν, Peripateticus dictus est. Lyceum hoc, quod secundum fuit Athenarum Gymnasium, alii cum Luciano sic dictum tradunt, quod Apollini Lycio sacrum fuisset, à Pisistrato inchoatum, & postea à Pericle extructum ad novos milites in bellicis artibus instruendos: alii cum Pausania contendunt, Lyceum à Lyco Pandionis filio nomen habuisse, & Apollinis Templum & olim, & nunc creditum fuisse. In hoc Gymnasio suas discipulis *commentationes* tradebat, quas in duas species distribuit, Εἰστεγμένας scilicet, & Αὐξομενάς; quarum has matutinis horis selectos tantum discipulos docebat, hoc est eos, qui ipsas audire, & intelligere apti erant, ab ἀκροάσματι enim *audio* nomen habent; vespere verò Exotericas, sive Exteriores, & Triviales juvenibus sine delectu præbebat. In Acroamaticis remotior, subtiliorque Philosophia, & Dialecticæ quæstiones tractabantur; in Exotericis vero Rhetorica, argutiarum facultas, & civilium rerum notitia tradebantur.

Sed ad tanti Viri doctrinam, quam ingens Philosophorum turba, nostro hoc ævo potissimum, vel clavis oculis amplexata est, recensemdam accedamus. Aristoteles omnem Philosophiam in Πρακτικά, seu in eam, quæ circa actus versatur, & in Θεωρητικά, seu in eam, quæ in intelligentia, & speculazione consistit, divisit. Practica Ethicam, seu Moralem, & Politicam, & Economicam continet; Theoretica vero, seu Speculativa Physicam, & Metaphysicam. Logica enim per Aristotelem non Philosophiae pars est, sed Ars, quæ mentem dirigit ad veritates, quæ in Philosophia manifestantur, inquirendas. Veritatis Κείμενον, Judicium in iis quidem actionibus, quæ secundum imaginationem sunt, Sensum definivit; Moralium vero, & quæ ad simplicem cogitationem pertinent, Mentem.

Et primo quod ad LOGICAM, nulli dubium est, quin Aristoteles hanc præ omnibus excoluerit, imo & ad summum perfectionis gradum, in quo etiam nunc est, perduxerit, & omnes Logicas Methodos, ut Philoponus ait, invenerit. At doctissimus Jo: Lud. Viv. de Discipl. l. 3. p. 171. de Logica differens ait: Sed indubite Aristoteles eam in artis faciem reduxit, ut & Rheticam. Cæterum, quod licet cum bona via dicere, præterquamquod more suo obscure, & prolixæ, etiam parum apte ad usum vel inveniendi argumenta, vel judicandi argumentationes. Nemo est enim, qui quantumlibet diligenter lecta, & excussa universa Aristotelis Logica, sentiat, se instrumentum habere, quo in aliqua ad differendum materia argumenta in promptu excogitet. Ejus Κατηγορίας, seu Prædicamenta, quæ Quintilianus transfert Elementa, Capella Prædicationes, quas à Pythagoreis nonnulli inventas contendunt, quia vulgatissimas, cunctisque notas, recensere sciens prætermitto. Tandem hoc est de Aristotelis Logica Neoterici cuiusdam in Arte Cogitandi judicium; quod præcipuum vitium, quod in hac invenitur, sit, non quod falsa, sed quod nimis vera ea sit, ut quæ nos ea doceat, quæ impossibile est, ut quis ignoret.

Quod

Quod ad PHYSICAM spectat, notandum, Aristotelem, antequam sua statuat Physica Principia, omnia antiquorum evertere. Sed an validis id faciat rationibus, alii plures examinarunt. Ejus tantum præcipuas hac in re sententias ut proponam; sciendum, eum rerum naturalium Principia tria statuisse, Materialiam scilicet, Formam, & Privationem. Nemo tamen est, si verum fateri velimus, qui Materialam, & Formam rerum materialium Principia non agnoverit: vera namque, sed nimis generalia rerum Principia hæc sunt; quibus scilicet si solis mens utatur, naturæ phænomena rationem reddere nequeat. Hoc enim in Aristotelis Physica vitium est, quod res materiales metaphysico potius, quam physico modo pertractentur. Tertium rerum Principium, ut dictum est, Privationem Aristoteles posuit, quod unum eorum est, quæ ipse detexisse gloriatur, omnes antiquos Philosophos insultans, quod hoc tam celebre rerum Principium ignoraverint. Sed nemo est, qui non videat, quam facile sit cognoscere, nullum antiquorum hoc Aristotelis arcanum ignorare potuisse; sed quia omnium maxime ad naturæ Phænomena explicanda inutile est, pro rerum materialium principio non agnovisse. Ecquis enim ignorat, unamquamque rem, antequam talis fiat, talem non esse; hoc est, habere privationem ejus, quod fit? Atque hæc de Principiis rerum materialium; veniamus nunc ad ea, quæ de Elementis dicit.

Elementa, ex Aristotelis sententia, sunt corpora simplicissima, ex quibus omnia fiunt, & in quæ omnia resolvuntur. Sed nemo est, qui non videat, quod per hanc definitionem, tantum abest, ut claram, & distinctam ideam de his simplicissimis corporibus, Elementis scilicet, ad cæterorum corporum, quæ ex ipsis componuntur, detegendam naturam, habeamus; ut confusam potius, & obscuram. Quatuor enim ex Aristotele sunt Elementa, Aër scilicet, Ignis, Aqua, & Terra. Hæc autem & Elementa, & nonnisi quatuor esse sic probat. Omnia corpora simplicia oportet moveri motu simplici; atque hanc propositionem, (quæ obscurissima, & falsissima est) tanquam Axioma probatione non indigere, putat. Quæ enim, quæso, connexio est inter corporum simplicitatem, & ad simplicem motum potentiam? Sic tamen argumentando sequitur: Duo tantum sunt simplices motus, alter quidem deorsum, sive à circumferentia ad centrum, alter vero sursum, sive à centro ad circumferentiam. Sed hi duo motus Terræ, & Ignis tantum convenient, quorum Terra simpliciter, & absolute gravis, Ignis simpliciter, & absolute levis est. Igitur Terra, & Ignis Elementa sunt. Denique quia gravitas, & levitas corpori vel simpliciter, seu in totum convenit, vel secundum quid, seu in partem; concludit esse alia duo Elementa, seu simplicia corpora, quorum unum in parte leve, alterum in parte grave sit, hoc est, Aër, & Aqua. Qui verò nihil ex se grave, vel leve esse ex regulis motus didicit, ex illa præcipue: *Omne, quod movetur, ab alio movetur, facile iis respondeat.*

Quatuor deinde his quatuor Elementis tribuit qualitates, Calorem, Frigiditatem, Humiditatem, & Siccitatem; atque Ignem Calidum, & Siccum, Aërem Calidum, & Humidum, Aquam Frigidam, & Humidam, Terram denique Frigidam, & Siccum dixit. Harum qualitatum definitiones, & cætera apud ipsum videre est. Argumenta, quibus omnes hæ Aristotelis propositiones falsas esse quidam demonstrare contendunt, legere est apud ejus Criticos, qui fusius de his egerunt.

Credidit ipse, Mundum esse ingenitum, & natura sua æternum, incorruptibilem, & immutabilem, & Cœlos ex materia corruptioni non subiecta, vel mutationi, compositos putavit. Sphæram quoque Ignis Elementaris supra Lunam nulli innixus rationi locavit. Stellas solido, diaphanoque Cœlo, quod Cry-

Crystallinum inde dixit, fixas esse, docuit. Sed hæc soliditas, quam Aristoteles Cœlo tribuit, vel ex hoc falsa est, quod Cometæ modò appareant, modò supra Planetas positi evanescant. In Physica etiam agit de Meteoris, quæ corpora *imperfecte mixta* vocat, & juxta naturæ legem, modo tamen minus constante, & ordinato producta. Meteororum materiam Elementa in genere sunt; caussa vero efficiens cœlestia corpora, quæ in his agunt. Et de Physica satis.

Quam Aristotelis Sectatores, & Interpretes METAPHYSICAM, ipse vero multis in locis PRIMAM PHILOSOPHIAM, SAPIENTIAM, & THEOLOGIAM dixit; de Ente in genere agere, ac de ipso tanquam unico hujus Philosophiæ partis objecto quatuordecim libros confidere, omnes norunt. Ens in decem *Kathopædias*, seu Prædicamenta divisit, quarum prima Substantiam, reliquæ novem substantiæ Modos, seu Accidentia considerant. Mirum certe quām abstracte, & confuse de his loquitur in Metaphysicis; unde tot, ac tanta de Materia Prima, & Forma substantiali ad ipsius mentem explicandam verba facere ejus sectatores conati sunt: quæ tamen ipsi prædicant Axiomata à Recentiorum plurimis refelluntur. In hac igitur Philosophiæ parte omnes Entis differentias, & attributa explicat, ut Ens Actuale, & Possibile; Entis Actum, & Potentiam. Inde de tribus Entis attributis Unitate, Bonitate, & Veritate loquitur. In septimo Metaphysicorum libro de Primo Ente agit, quod omnium Primam Caussam demonstrat. Quæ tandem de Anima dicit, adeo obscura sunt, ut ejus sectatores circa Animæ immortalitatem in varias sententias abire coacti sint; ex ejus enim verbis mortalis ne, an immortalis sit, liquido non constat. De Deo autem sic bene sentit: Deus est Ens æternum, vivum, entium nobilissimum, substantia immobilitis, à rebus sensibilibus penitus diversa, quantitatis corporeæ, partiumque expers, quodque dividi nulla ratione possit. Clem Alex. in Adm. ad G. ait, Aristotelem dixisse, Deum esse Mundi Animam, ipsumque Mundum Deum esse; cuius tamen Providentia ultra Lunam non se extendat. Atque hæc ex Aristotelis Metaphysicis potiora.

ETHICA, POLITICA, & ECONOMICA, quæ, ut supra dictum est, Practicam Philosophiæ partem constituunt, laudabiliora Aristotelis opera sunt, & ab omnibus fere commendata; quorum doctrinam à Præceptore Platone hauserat. Ethicorum libros decem, Nicomachia dictos, sive quod ipsos ad Nicomachum filium Aristoteles scripsit, sive quod à Nicomacho ipso scripti sint, ut Suidæ, & Ciceronis 5. de Fin. sententia est; duos Magnorum Moralium; unum tandem de Virtutibus, Aristoteles reliquit: in quibus Bona omnia in Honesta, Utilia, & Jucunda dividens, atque iterum in Bona Animæ, Corporis, & Externa; docet quæ bona sint appetenda, quid sit Beatitudo, quæ Virtutes exercendæ, &c. Virtutibus, morumque doctrina explicatis, ad œconomica pergit, afferens, primam Rempublicam, ac societatis initium familiam esse. Hæc enim parva quædam civitas videtur, cum ex Familia Familiæ, ex Familiis viciniæ, ex viciniis Civitas componatur. Imo nedum Civitati, & Reipublicæ ortus semina familiam tribuere, afferit, verum etiam regni quoddam specimen, optimates, & populum in ipsa cerni, parentes scilicet, liberos, & servos. Tandem à re familiari ad Rempublicam transiens, docet in Politicis qui sint Cives, quæ Civitates, quibus virtutibus Politicos viros ornatos esse deceat; quæ sit optima Respublica, quæ pessima: quæ Democratia, quæ Oligarchia, quæ vero Aristocracia sit; has autem omnes Respublicas vel vi, vel dolo omnes interire. Denique Magistratus, & omnes populi ordines pro Reipublicæ conditione creati, demonstrat.

De Aristotelis Ethica hoc apud omnes in confessio judicium est, hoc opus

omnium esse perfectissimum, & à Platonis Ethica quod ad principia non differre. Differentia sola hæc est, quod Aristotelis quidem Ethica intra hujus tantum vitæ limites versatur, & homini non nisi civilis vitæ bonum, & felicitatem proponit; secus verò illa Platonis, quæ ultra præsentis vitæ terminos adspiciens, etiam ad futuram vitam mores componit. In prima suæ Ethicæ parte ostendit Aristoteles, in quo virtus privata consistat: in secunda Virtutem Civilem constituit; ubi de Justitia in genere, ejusque speciebus; de jure naturali, ac gentium; ac potissimum de Prudentia, quam virtutum omnium potissimum considerat, verba facit. Solam virtutem hominem felicem reddere haud posse, ipse putat, nisi, quæ corporis sunt, & quæ extrinsecus adveniunt, bona simul habeat. Reliqua apud ipsum videre est, in quibus omnibus Civilis, & Privatae vitæ specimen exhibetur. Hinc Cic. 5. de Fin. ait: *Omnium fere Civitatum non Græciae solum, sed etiam barbaricæ ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, à Theophrasto leges etiam agnoscimus.*

Præclaras ejus quampsurimas ex Laërtio, aliisque Ethicas habemus sententias, quarum præcipuas hic subnectere liceat. Interrogatus quid mendaces lucrarentur? respondit: *Ut cùm vera dixerint, non credatur eis.* Cùm ei probro daretur, quod flagitosum hominem commiserans, ei opem tulisset, inquit: *Non mores miseratus sum, sed hominem.* Discipulis dicere consueverat: *Adspicuum quidem à circumfuso aère lumen accipere, animum verò à disciplinis liberalibus.* Studiorum liberalium amaras radices, fructus autem dulces esse, asserebat. Tria, dicebat, pueris esse necessaria, Ingenium, Exercitationem, Disciplinam. Audiens à quodam sibi maledicti, respondit: *Ille absentem etiam verberet. Doctos ab indoctis differre,* inquit, *quod viventes à mortuis.* Eruditionem, dicebat, in prosperis esse ornementum, in adversis refugium. Parentes, qui liberos bene erudiendos curassent, longe nobiliores esse iis, qui solūm genuissent: *Hos enim tantum vivendi, illos autem etiam bene, beateque vivendi autores esse.* Veros amicos esse, inquit, animam in pluribus corporibus habitantem. Ex Philosophia id lucratus sum, dicebat, ut injussus ea faciam, quæ alit per legum metum faciunt. Rogatus, quales nos erga amicos esse debeamus; Quales eos, inquit, erga nos esse optamus. Refert Phavorinus, eum crebro dicere solitum: *O Amici, Amicus nemo.* Virtutem optimum ad senectutem viaticum, dixit, vitæque finem ex virtute vivere. Plura vide apud Laërt. aliosque.

Mathematicos etiam scripsit libros, & Philologicos, ex quibus laudabiles certe sunt Rhetoricæ, & Poëticæ Institutiones. Scripsit etiam Problematum, Mirabilem, & adversus Philosophos libros, quorum Elenchum omnium, præter Epistolas, Laërtius habet, usque ad 400. numerans, sive, ut aliis placet, 513. Qui omnes ad nos non pervenerunt, multis jam perditis, & ex iis, qui exstant, multi vel corrupti, vel exesi habentur. Deperditos, & superstites Aristotelis libros, & eorum Interpretates, atque Commentatores ultra quinquaginta numeratos, ex instituto recenset Patritius Discussion. Peripat. t. I. l. 10. 11. atque alii.

His de Aristotelis doctrina, scriptisque notatis, redeamus ad ipsius vitam, ac de ejus ab Athenis in Chalcida discessu, morte, uxore, liberis, & testamento aliqua subnectamus. Tredecim annis Aristoteles Philosophiam Athenis docuit, ubi maxima semper, Alexandro vivente, autoritate fuit, itaut nemmo illi infensus esse auderet. Alejandro tamen vix mortuo, multi ob magnam ipsius eruditionem ex invidia ei infensi in ejus vitam inimico animo conspirabant. Quare ab eo cognita, Athenis clam relictis, in Chalcida secessit, impietatem caussantibus inimicis; ibique vitæ reliquum consumit, amicis reditus,

ditus, quibus fugæ caussam exquirerentibus respondit, se hoc fecisse, *Ne Athenienses bis peccarent in Philosophum*, Socratis mortem, suumque vitæ periculum innuens. Hic Aristotelis ex urbe Athenarum discessus ad 2. Olymp. 114. à Dionys. Halicarnass. refertur. In Chalcide igitur annos natus fere 62. ægro, affectoque corpore vivens, à Sectatoribus ad eum visendum venientibus rogatus, ut Scholæ successorem sibi deligeret, Theophrastum de legit, brevique dein tempore è *vivis* sublatus est anno 3. Olymp. 114. ætatis vero 63. sive ex infirmitate stomachi, nimio studio, vigiliisque fere perennibus contracta, sicut Laërtius, Apollodorus, Dionysius Halicarnassæus, & Censorinus affirmant; sive quod aconitum biberit, ad id damnatus ab Atheniensibus, ut Socrates, vel ut eorum effugeret judicium, ut Strabo, Hesychius illustris, & Suidas referunt. Vulgaris fabula est ( ipsam tamen amplectuntur, mortisque caussam volunt Justin. Mart. Parænet. p. 34. Greg. Nazianz. Stelieut. 1. p. 228. Gæl. Rhodig. Ant. lect. 19. 8. & Etymologus Græcus v. Εὐγενία. atque alii) propositam ei fuisse quæstionem de Euripi (qui ex Strabone l. 1. p. 55. & 4. p. 403. pelagi in terram recedentis portio est) fluxu, & refluxu; quam cum solvere non posset, præ dolore, & pudore mortuus sit; sive, ut alii malunt, quod in littore confidens, & fluxum, refluxumque illum capere nequiens, sese in Euripum præcipitem derit dicens: *Quoniam Euripum Aristoteles capere non potuit, Aristotelem Euripus jam capiat*. Stagiritani Aristotelis cadaver inde Stagiram traduxere, & altare in sepulcro construxerunt, Aristoteleum exinde locum illum appellantes.

Prima Aristotelis Uxor Pythais, secunda Herpylis, quæ ei superstes fuit. Ex hac filium Nicomachum suscepit, & filiam Pythaida. Aristotelis discipuli, & familiares pene innumeri, & fama illustres, de quibus librum integrum Niccanor Alexandrinus confecit. Obtrectatores item habuit non paucos. Testamentum vide apud Laërt. 5. 11. atque alios in ejus vita. Sed antequam ad alios transeam, quid de tanto viro celebriores viri senserint, liceat hic pro Coronide adnotare.

Et primo qualis Aristotelis doctrinæ fortuna fuerit, paucis hic referam. Aristotelis scripta Theophrastus ab ipso Præceptore accepit; quæ moriens Theophrastus Neleo amico, & discipulo suo tradidit. Hujus hæredes, ne à Pergami Rege, undique tunc libros ad Bibliothecam efformandam colligente, raperentur, scripta in crypta quadam absconderunt. Inde extracta, quod ad magnam tamen partem corrupta, Apelliconi, diviti Athenensi vendita sunt; à quo Sylla Romam abduxit. Deinde ad Tyrannionem Grammaticum pervenerunt; à cuius hæredibus Andronicus Rhodius Philosophus, tempore Cic. vivens, scripta emit, quæ, ut potuit, instauravit, & Romæ publici juris fecit. Sectatores Aristoteles omni fere ævo quamplurimos habuit. Primus Peripateticam Philosophiam, Romæ ab Imperatoribus Marco Aurelio, & Lucio Vero fundat, professus est Alexander Aphrodisiensis, de quo infra. Primi Catholicæ Ecclesiæ Doctores Aristotelis doctrinam damnarunt. Pro ipsa deinde fuerunt Anatolius, Laodicensis Episcopus, Didymus Alexandrinus, Divi Hieronymus, & Augustinus, atque alii. Boëthus Andronici discipulus, genere Sidonius, primus in Occidente Aristotelem latine reddidit, & notum fecit seculo VI. Sed usque ad finem VIII. solus Peripateticus recensetur Divus Johannes Damascenus Undecimo tamen seculo Aristotelis doctrina per Græcos refloruit, quæ jam in Africa inclarerat per Alfabarum, Algazelum, Avicennam, Abenroëm, atque alios, qui in Hispaniam, ipsorum ditionis factam, Aristotelis opera cum suis Commentariis adduxerunt: atque inde Hispani in Galliam. Primum quidem Lutetiæ Parisiorum Universitas ipsam exceptit. Paulo tamen post Ama-

ri particulares quasdam opiniones ex Aristotelis principiis propugnans, hæreticus declaratus, & damnatus est à Concilio in eadem Urbe habito an. 1210. Aristotelis libri cremati; ejusque doctrina sub anathematis pœna prohibita. Gregorius IX. ejus Physicam damnavit; ac duo Parisienses Doctores, quod Aristotelici essent, hæreseos accusati sunt. Deinde Alexander de Ales, Albertus Magnus, & Divus Thomas Aquinas, Aristotelis doctrinam instaurarunt, Nicolai V. studio, ut ajunt, nova ejus operum traductio, & editione facta an. 1447. prius enim semper Arabum textus in Scholis legebatur, unde tot barbaræ voces promanarunt. Seculo autem 14. ingens orta est contentio inter Nominales, & Reales, Thomistas, & Scotistas, ita ut Sectis his addicti quamplurima ederent contentionum volumina, quæ Patricius ad duodecim millia numerat. Varia deinde sub aliis Pontificibus Aristotelis doctrinæ fortuna fuit, præcipue in dicta Parisiensi Universitate, ubi tandem ex Supremi ejusdem Urbis Magistratus sanctione an. 1624. & 1629. facta, jam exponitur, sicut & in omnibus fere Europæ civitatibus. Vide Joh. de Launoi de Aristotelis Fortuna Tractatum, Patricii Discussiones Peripateticas, & P. Rapin Comparisonem Platonis, & Aristotelis.

Aristotelem Græci Interpretes ob verborum nimiam obscuritatem Σφιγγεις sphingem nominarunt. Decreta sua aliter domi tradidit, aliter foras edidit: hinc Alexandro Magno, ipsum acriter increpanti, quod eas disciplinas, quibus ipse reliquis anteire cupiebat, divulgasset, respondit, se quidem edidisse Ακροαμεττικα, sed iis solum, qui ipsa à se audierint, cognoscibilia esse; atque ita edita, ac si edita non essent, ut refert Plutarchus in *Alexandro*, & Gellius I. 20. c. 1. Unde & Themistius ait; *Furori simile esse, si quis speret, se ex Aristotelis scriptis sententiam ejus penitus assequutur um*. Prima Aristotelis laus est, quod non usus sit Philosophia Mythica, seu Fabulosa, ut veteres Poëtæ: non Symbolica, ut Pythagoras, & saepe etiam Plato; sed aperta, ut quæ proprietate gaudeat verborum, ut Simplicius adnotavit. Altera, quod clariori methodo, quam cæteri, utatur, ut qui accuratius definiat, ac dividat, meliorique omnia ordine pertractet. Lueulentam ei laudem plures laudati viri contexerunt. Cic. lib. I. Tusc. Aristotelem virum summo ingenio, scientiæ copia, ac diligentia (Platone excepto) omnibus præstantem appellavit. Et 5. de Fin. eum (Platonem semper excipiens) Philosophorum Principem dixit. Et idem ibidem ait, sicut & Plinius, eum summum in omni scientia virum esse. Quintilianus I. 10. de Aristotele hæc ait: *Quid Aristotelem? Quem dubito scientia verborum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumen, an varietate operum, clariorem putem*. Macrobius quoque non veritus est dicere, nihil tantum virum ignorare potuisse. Et Divus Hieron. ipsum vocat *Finem humani intellectus*. Vide & alia ejus elogia apud Plin. Ælian. Laetant. Augustin. Joh. Lud. Viv. & alios. Tandem ex Aristotelis Interpretibus maxime omnium legendus est Alexander Aphrodisiensis, qui antiquissimus ipsius interpres fuit, quo non alias Aristotelem vel melius intellexit, vel studiosius defendit; vixit enim temporibus Severi Imperatoris, & filii ejus Antonini, qui que Aristotelis sententiam maxime sequitur, optimeque defendit, unde non immerito inter Græcos Εξηγητας, Interpres, ut inter Arabos Abenroës, Commentator dictus est; homo tamen, ut ait Lud. Viv. de Discipl. I. 5. p. 296. qui in Aristotele enarrando nibil minus explicat, quam eum ipsum, quem suscepit declarandum. Vide cit. Viv. ibi, & seq. ubi de hujus Commentatoris manifesta inscitia plura habet. Celebres inter ejus Commentatores fuere etiam Themistius, Simplicius, Proclus, Olympiodorus, Ammonius, & Philoponus. Sed his de Aristotele adnotatis, ad ejus successorem gradum facio.

THEO.

## THEOPHRASTUS

**A**ristotelis successor, Eressius dictus ab Eresso maritima Lesbi urbe, in qua natus est ex patre Melanta, ut ex Apollodoro, vel Leone, ut ex aliis, vitæ genere fullone. Hic primùm in patria Leucippum civem suum audivit, inde Platonem, postremo Aristotelem; à quo, cùm prius Tyrtamus vocaretur, ob divinam facundiam Theophrasti nomen accepit, qua condiscipulos omnes, teste Cic. Plin. Laërt. & Strabone anteivit. Fuit hic vir summæ prudenteræ, studiique singularis, beneficus, & maxime affabilis, unde Atheniensibus carissimus fuit, itaut ab Agnonide impietatis accusatus, parum absuerit, quin in actorem ipsum caussa retorqueretur; imo & ejus funus universus Atheniensium populus pedibus est secutus. Patriam à tyrannis oppressam bis liberavit. Cic. l. 5. de Fin. quæ Theophrastus de stirpium natura, omniumque fere rerum, quæ è terra gignerentur, caussis, atque rationibus; ejus quoque librum de Beata Vita, & quæ de legibus tradidit, commendat; ubi, & alibi quoque ipsius elogia habet. Ad ipsum audiendum discipuli etiam doctissimi ad duo millia accurrebant. Omnino igitur hic Præceptoris suo jungendus partim ob ea, de quibus Aristoteles non scripsit, partim ob ea, de quibus Theophrastus melius scripsit; in nonnullis enim ab Aristotele dissentit. Quamplurima conscripsit opera, quorum meminit Laërt. in ejus Vita. Deum alibi quidem Cœlum, alibi vero Spiritum esse existimat, referente Clem. Alex. in Protrept. Sensum autem fidei initium statuit. Inter ejus Apophthegmata hæc præcipua. Juveni in convivio tacenti ait: *Si quidem indoctus es, prudenter facis, se doctus, imprudenter.* Demosthenem, dixit, dignum esse Atheniensum Civitate; Demadem verò majorem, quam ut illa caperet civitas. Verere te ipsum, & non erubescens apud alium. Adolescentulo erubescenti dixit: *Bono esto animo, virtutis enim iste est color.* Amorem, ait, esse animæ affectum oiosæ. Mulierem pulcre ornatam neque videre alios, nec ab aliis videri debere; utrumque enim ad res in honestas esse incitamento. Dicere solebat: *Nos, cum vivere incipimus, mori.* Reliqua vide apud Laërt. Plut. Stob. atque alios. Obiit tandem senex ætatis anno 85. exhaustis, ut Suidas ait, scribendi assiduitate spiritibus. Celebres ejus discipuli fuere Demetrius Phalereus, Nicomachus Aristotelis filius ipsi carissimus, Erasistratus Medicus, Menander Comicus, &

## STRATO

**L**ampsacenus Arcesilai, sive Arcesii filius Theophrasto præceptori suo in Scholæ regimine successit, vir eloquentissimus, maximæ dignitatis, & Ptolemæi Philadalphi præceptor. Physicus iccirco appellatus, quod Physicam Philosophiæ partem præ cæteris diligentissime coluit, in qua multa innovavit, non à Platone tantum, sed etiam à Præceptore suo dissentiens. Hinc Cic. I. Acad. Qu. Nam Strato, quamquam fuit acrī ingenio, tamen ab ea disciplina omnino semovendus est: qui cum maxime necessariam partem Philosophiæ, quæ posita est in virtute, & moribus, reliquisset, totumque se ad investigationem naturæ contulisset; in ea ipsa plurimum discedit à suis. Idem Cic. de Nat. D. I. 13. ait, Stratonem, omnem vim divinam in natura sitam esse, putasse. Scholæ præfuit anno 3. Olymp. 123. ut Apollod. in Chron. refert, quam rexit an. 8. Vid. Suid. in Strat. & Laërt. qui cuncta ejus opera enumerat. Stratoni successit

## HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ LYCON

**L**Roadensis ejus discipulus, Astyanactis filius, vir eloquens, educandis, instituendisque pueris, ut Laërt. refert, maxime idoneus; ajebat enim: *Ut equos calcare æque ac fræno, ita pueros quoque pudore, & laude regendos.* Clem. Alex. Strom. 2. p. 416. refert, Lyconem dixisse, verum hominis finem esse animæ lætitiam. Eo enim in loco pro Λύκος Λύκων legendum est. Hic à non-nullis ob summam in dicendo suavitatem, literam & nomini suo addentibus, Glycon est appellatus, referente Plutarcho. Omnia corporis exercitia libenterissime obibat, pila ludens, & athletico certamine, in quo corporis agilitatem pollebat, palæstricum olens oleum, se exercens. Consilio in rebus dubiis saeppe Atheniensibus profuit. Corporis cultu mundissimus fuit, toga usus ad excessum usque, ut Hermippus ait, delicata, & pretiosa. Vid. etiam Athen. 1.12. p. 546. qui multa habet de ejus luxu. Podagra affectus obiit annos natus 74. Scholæ præfuit an. 42. ipsi à Stratone ex testamento præfectus Olymp. 127. Ejus successor fuit

## ARISTO

**C**Hius, sive Cejus, ex insula enim Ceo fuit, quæ celebris est ea lege, qua 60. annis maiores vita exire coguntur, ut reliquis victus sufficiat. Cic. hunc concinnum vocat, & elegantem. Scripsit de Nitro tractatum, à Strabone allegatum (nisi hoc opus Aristonis Alexandrini sit junioris Peripatetici, quod patria, & scriptoris argumentum verosimile reddunt) atque alios, quos refert Laërtius. Hujus successor.

## CRITOLAUS

**E**X Phaselide, Lyciae urbe clarissima, si Plutarcho credimus, ortus est, qui præceptoris suo Aristoni in Schola successit. Atheniensium nomine una cum Carneade, & Diogene, ut supra quoque dictum, Romæ legationem obiit anno 2. Olymp. 140. seu U. C. 534. Scripsit contra Rhetores, quos Ὀρματομάχος, quod scilicet nominibus, sive vocibus tantum contenderent; eorumque munus non artem, sed malum artificium appellans, ut habemus ex Sext. Emp. advers. Mathem. 1.2. & Clem. Alex. Strom. 2. Summum bonum dixit esse perfectionem vitæ recte fluentis (perfectionem à majoribus traditam intelligens; Clem. enim Alexandr. 1. cit. προγόνικῶν τελεότητα habet) secundum naturam. Animi bona supra bona corporis, & externa maximi æstimanda asserebat. De Mundi aeternitate quid senserit, legendus Philo 1. de Mundi Incorruptibilitate. Tandem Peripateticorum ultimus

## DIODORUS

**C**ritolai discipulus, & successor, ut ait Clem. Alex. 1. Str. ubi hominis finem statuisse ipse dicitur, citra ullam molestiam, & honeste vivere. Hujus mentio est apud Cic. Quandiu vixerit, & docuerit, quisque ejus fuerit successor, incertum est; in hoc enim Peripateticorum successio dicitur terminasse.

## C A P U T I X.

*De Philosophis Cynicis.*

**A**B Academicis, & Peripateticis veniendum nunc ad alios Socratis discipulos, qui & ipsi Sectarum autores fuere. Et primo ad Cynicos, quorum Caput

## A N T I S T H E N E S

**A**Theniensis, Antisthene patre Atheniensi, & matre Phygia ortus. Gor-  
giam oratorem primū audivit, unde & in Dialogis oratorium exprimit  
dicendi genus; deinde Socrati se addixit, à quo tolerantiam, & animi, pacatis  
passionibus, tranquillitatem didicit. Hinc Dialectica, Physica, omnibusque  
liberalibus disciplinis repudiatis, morali tantum operam, & studium omne im-  
pendens, atque hominis finem secundum virtutem vivere statuens, *Cynosarges*  
**Gymnasium** non procul à portis Civitatis delegit, ibique Cynicam Sectam pri-  
mus instituit, unde & Cynicorum Pater, atque Απλοκύων, *Genuinus canis*, vo-  
catus est. Nulli dubium, quin Cynica hæc Secta ἀπὸ τῆς κυνῆς à Cane dicta sit:  
cur autem sic dicta in varias autores abiere sententias. Cic. communem op-  
inionem securus, eam à canina impudentia sic dictam putat r. de Off. dum ait:  
*Cynicorum natio tota ejicienda est. Est enim inimica verecundiæ, sine qua ni-*  
*bil rectum esse potest, nihil honestum.* Hunc sequitur S. Aug. lib. de Nupt. &  
Concupiscent. c. 22. Empir. de Pyrrhon. l. 1. c. 14 inde dictos censet, quod ca-  
num instar tuerentur bonos, malos adlatrarent, & invaderent. Id vero ex hoc  
originem duxisse videtur, quod interrogatus Diogenes Cynicus ab Alex. Ma-  
gno cur canis vocaretur, respondit: *Quia eis, qui dant, blandior, in eos, qui*  
*non dant, adlatro, malos verò mordeo.* Alii denique cum Hesychio Milelio,  
& Laërtio, & quidem rectius, Cynicam Sectam volunt ab eo, quod  
Antisthenes ejus sectæ princeps in Gynosarge, quod tertium fuit Athenarum  
Gymnasium, doceret. Hæc autem de Cynosarge, ejusque nominis origine scripta  
reliquerunt antiqui. Hesychius sic ait: *Gynosarges, locus sacer, appellatus sic*  
*ob hanc caussam.* Ajunt, Diomo sacra Herculis faciente, canem victimæ femur  
abripuisse, ac aliis insequentibus profugisse. Locus autem ita dictus ab albore,  
vel celeritate canis. Et Eustath. ad Iliad. 2. *Cynosarges locus erat ita dictus à*  
*cane albo, victimæ parte ablata, illuc excurrente.* In hoc igitur omnes fere  
conveniunt, Cynosarges ἀπὸ τῆς κυνῆς, τὸ δέρμα, à cane albo, vel celere dictum  
esse. De hoc ita Liv. I 31. Sed & Cynosarges, & quicquid sancti, amœnitas  
circa urbem erat, incensum est à Philippo Macedonum Rege, Demetrii filio,  
dirutaque non tecta solum, sed & sepulcræ. Plura vide apud Meursium Athen.  
Attic. I. 2. c 2. & 3.

Antisthenes primus, abjecta tunica, duplicito pallio usus est, & baculo,  
ac pera armatus incedebat. Hinc factum, ut Sectæ Cynicæ insignia Pallium,  
Baculus, & Pera essent. Inter Cynicorum, & Stoicorum sectam magna fuit  
sententiarum concordia; vietus enim utrisque simplex, facile parabilis, & qui  
naturæ necessitatem non excederet: vestis sordida, divitiarum, gloriæ, & no-  
bilitatis despectus; ita ut ipsorum multi solis uterentur herbis pro cibo, frigida  
verò pro potu, Socratis dictis utentes: *Deorum proprium est nulla re indigere,*  
*sortum verò, qui similes illis essent, egere quam minimis.* Hinc Seneca de Brevi.  
Vit.

Vit. c. 14. *Hominis naturam Stoicos vincere, Cynicos excedere.* Et Laërt. in Vita Menedemi Cynismum vocat Σωτηρον ἐπ' αἰσθήσῃ δόδῳ, *Brevem, & concisam ad virtutem viam.* Legatur Arrianus de Cynismo l. 6. c. 22. Epist. l. 3. Dissert. 23. Suidas in Cynismo, Salmas. in Tertull. de Pallio p. 386. & seq. & Lips. in Manuduct. ad Stoicam Philosophiam.

Sed ut ad Antisthenem redeam, præcipua ejus placita, & apophthegmata hic referam. *Virtutem solam, dicebat, sufficere ad felicitatem; ac nobiles eos tantum esse, qui virtutem colant: Sapientem solum nosse quid amabile sit; eumque Remp. non juxta leges receptas, sed ut virtus præscriperit, recturum; ac sobolis procreandæ causa pulcræ daturum operam feminæ: sapienti novum videri nihil: Amicos esse, inter quos virtus conjungat amorem. Bona esse ea sola, quæ honesta, mala vero, quæ in honesta: Voluptatem pro summo malo se habere, ac proinde, Gellio referente, se malle furere, quam voluptati litare: Inter virtutem, & vitium medium non dari: Virtutem disciplina acquiri posse, amitti non posse: Sermonem esse, qui quicquid sit, aut fuerit, exprimit. Interroganti, qualis ducenda sit uxor? respondit: Formosam dicens babebis νοινῳ, communem, deformem vero, babebis Πονῳ, pœnam. Platonem de se male loqui audiens, dixit: Regium est male audire, cum beneficeris. Cum aliquando à malis laudaretur, inquit: Misere metuo, ne mali quippiam fecerim. Rogatus, quidnam à Philosophia lucratus esset? respondit: Mecum alloqui posse. Interrogatus, cur cum impiis versaretur? respondit: Medici inter ægrotos versantur, neque tamen febricitant. In corvos, dicebat, se incidere malle, quam in adulatores; illi enim mortuos, hi vivos etiam dilaniant. Nil homini magis exoptandum, quam mors beata. Immortales esse cupientes, pie, & recte vivere oportere. Ea comparanda viatica esse, quæ cum naufragis etiam possint enatare. Remp. malis expurgandam hominibus, ut triticum lolio, militia inutili milite purgatur: Neque Symposium sine congerionibus, neque opes sine virtute jucundas esse. Reliquas ejus morales sententias videre est apud Laërt. Plut. Stob. atque alios. Plura scripsit, quæ ad decem Tomos Laërtius numerat. Tandem magnus hic Philosophus, qui Diogeni tranquillitatis, Crati continentiae, & Zenoni tolerantiae dux, & auctor fuit, mortuus est; eique successit*

### D I O G E N E S

**S**Inope, Ponti Civitate, ortus ex patre Icesio trapezita, ut ex Laërt. sive Iceta, ut ex Suida, an. 3. Olymp. 81. E patria una cum patre pulsus ob æs ab ipsis adulteratum, Athenas concessit, ubi Antisthenem audivit; qui licet saepe ipsum è schola repelleret, ejus tamen perseverantia victus est: illo namque aliquando baculum intentante, subiecto capite inquit: *Cæde; non enim ita durum baculum reperies, qui me abs te, quandiu aliquid dixeris, arcere poterit.* Hinc ejus auditor, & semper in carissimis habitus, quia inops, & ex patria profugus, se ad simplicem victum contulit, pallioque primus omnium, teste Laërtio, usus duplicato, quo dormiens se obvolueret; peramque tulit, in qua cibos ferebat, omniq[ue] ad omnia utebatur loco & prandiens, & dormiens, & loquens. Quare dicere solebat, Jovis porticum, & Pompæum, publica Athenarum loca, digito ostendens, Athenienses sibi hæc condidisse palatia, in quibus habitaret. Baculo utebatur primùm cum infirmus esset, deinde solùm iter agens. Cùm ad quemdam scripsisset, ut sibi cellulam pararet, & ille tardius exequeretur, dolium, quod in Metroo erat, pro domo habuit, ut ipse in Epist. testatur; quod dolium cùm quidam juvenis perforasset, Athenienses, qui Diogenem magni semper faciebant, juvenem punjentes, novum ipsi dolium dona-

dona<sup>r</sup>e. Ut corpus ad tolerantiam adsuetum redderet, nudis pedibus per nives ambulabat, nive obductas statuas amplectebatur, & æstate fervente in arena se volvebat. Diogenem, victum mendicantem, homini, à quo stipem petebat, dixisse, refert Laërtius: *Si aliis dedisti, da & mibi; si nemini ante me, initium à me facito.* Statuam aliquando compellans, ut daret, interrogatus, cur id ficeret? respondit: *Ut me repulsa assuefactam.* Minam à prodigo cum petiisset, atque ille interrogaret, cur obolum ab aliis, à se minam exigeret? respondit: *Ab aliis iterum me spero accepturum, à te autem an postbac accipere queam iterum, in Deorum positum genibus est.* Cereri, & Veneri palam dare operam non sibi turpe ducebat: hinc publice, multisque intuentibus ne dum cibum sumebat, sed & sua venere utebatur.

In Æginæ itinere jam senex à piratis captus, & Xeniadæ venditus, ab emtore, ipsum Corinthum abducente, interrogatus, quam artem magis calleret? respondit: *Hominibus liberis imperare.* Quod responsum demiratus Xeniades, ipsum manumisit, filiosque suos ei tradens, inquit: *Accipe liberos meos, quibus imperes.* Rem etiam familiarem sibi administrandam demandavit, quam ita curavit, ut fateretur Xeniades, bonum genium domum suam ingressum esse. Xeniadæ emtori suo eum dixisse, ferunt: *Mirari se quidem, quod cùm ollam, atque operculum non sine tactu, ac tinnitu emamus, in solo homine emendo aspectu contenti sumus.* In Xeniadæ filiis optime juxta suam Moralem instituendis reliquum vitæ tempus impendisse, refert Eubulus in Auctione Diogenis; apud quem senio confectus, ac vita functus an. I. Olymp. 114. ætatis suæ 90. à Xeniadæ filiis honorifice sepultus est; nam super ejus tumulum columnam erigentes, canem desuper ex lapide Pario sculpsérunt. Ejus dein cives æreis statuis ipsum honorarunt.

Magno semper apud homines in honore fuit, potissimum apud Alex. M. qui ad eum apricantem, & solis calore gaudentem, veniens, ipsum salutavit, & ut quid sibi vellet, peteret, monuit; cui ille respondit: *απορία με, νολέ μοι umbram facere.* Cumque ille diceret: *Alexander ego sum ille Magnus; Ego vero sum canis,* ipse respondit. Hinc stupens Alexander, ejusque animi magnitudinem miratus, dixisse fertur à Cic. 5. Tusc. aliisque: *Vellem Diogenes esse, nisi essem Alexander;* quasi vero ipsi non liceret, ut Plut. illi objicit, *animō esse* Diogenem, fortuna vero Alexandrum. In dolio etiam eum dormientem cùm aliquando Alexander vidisset, exclamavit: *O dolium mentis bonæ plenissimum!* Et Seneca de Animæ Tranquillit. c. 8. de ejusdem felicitate hæc habet: *Si quis de felicitate Diogenis dubitat, dubitare idem potest de Deorum immortalium statu, an parum beate degant, quod illis non prædia, non horti sint, &c.* Diogenem igitur, quem concives sui ridebant, mirabatur nimis Alex. M. miraturque etiam Basilius M. lib. de legendis gentilium libris.

Quod ad ejus doctrinam, hæc potissimum sunt opiniones: *Exercitationem duplēcē esse,* dicebat, *alteram mentis, corporis alteram;* alteram autem altera carere haud posse, quum bonus habitus, atque vires confirmatæ in corpore & que, ac animo sint necessariæ: unde & virtutem exercitio parari, & nihil in vita sine exercitatione perfici posse, dicebat. Plus naturæ, quam legi tribuens, Libertatem rebus omnibus præferebat. Hoc arguento, omnia Sapientum esse, evincebatur. *Omnia Deorum sunt:* *Sapientibus amici sunt Dii: amicorum vero communia sunt omnia: omnia ergo sunt Sapientum.* Remp. sine lege ordinari non posse. Nobilitatem, gloriam, & divitias contemnenda omnia. Conjugium rem vanam esse; sed mulieres, ac liberos communes esse oportere. Bonos viros imagines Deorum esse.

Plurima ejus traduntur Apophthegmata à Laërt. Plut. Stob. aliisque, quorum  
P sele-

selectiora sunt: Calcans aliquando Platonis stratum, sive, ut aliis placet, vensem, dixisse fertur: *Calco Platonis fastum*; illumque respondisse: *Sed fastu alio, Diogenes.* Acer enim nimis erat, teste Laërtio, in ridendis, despiciensque aliis. Cum vidisset aliquando Magistratus, qui *Ιερομάνιμοντες* dicebantur, quemdam phialam ex ærario furatum adducentes, dixit: *Magni fures parvum ducunt.* Rogatus à quodam, quoniam tempore ducenda sit uxori? respondit: *Juvenibus non dum, senibus vero numquam.* Dicebat quoque: *Manus ad amicos non complicatis digitis extendi debere.* Inductus in domum magnifice instruētam, atque exspuere prohibitus, in faciem prohibentis conspuit, dicens, se locum magis sœdum, in quem conspueret, non invenisse. Cum aliquando clamasset: *Heus homines, & plures accurrissent, baculo illos abegit dicens: Homines, non purgamenta vocavi.* Et interdiu lucernam accendens, interrogatus, quid hoc sibi vellet? ait: *Hominem quæro.* Cùm vidisset puerum cava manu aquam bibere, cotylam abjecit, inquiens: *Puer frugalitate me superavit.* Projecit etiam catinum, quum alterum puerum vidisset, vasculo fracto, concavo pane juscui lenticulam excipere. Projectis à quodam ei ossibus, ut cani, ea ille ut canis quidem sustulit, sed ut canis, pede sublato eum perminxit. Oratores, & omnes gloriæ studiosos, *Ter homines*, hoc est, *Ter infelices* appellabat. Prodigum in diversorio olivas comedentem videns, inquit: *Si ita prandisses, non, ut nunc facis, cœnares.* Interrogatus, quid in vita miserrimum? respondit: *Senex egenus.* Roganti cuidam, quis belluæ morsus magis noxius? ait: *Ex feris quidem morsus obtrectatoris, ex cicuribus adulatoris.* Audiens, Didymonem mœchum comprehensum esse, ait: *Dignus est ex ipso nomine suspendi; ex τῷ διδύμῳ scilicet, qui Latinis dicuntur testiculi.* Feminas videns in olivæ arbore suspendio enecatas, inquit: *O utinam omnes arbores fructus hujusmodi tulissent.* Adolescentem rubescensem videns, inquit: *Confide, fili, est enim iste virtutis color:* Theophrasto etiam hoc dictum tribuitur, ut supra in ejus vita. Dicenti, malum esse vivere, respondit: *Non vivere malum est, sed male vivere.* Interrogatus, quod vinum suavissimum? dixit: *Quod alterius bibitur impensa.* Monetæ falsitatem exprobranti ait: *Tempus omnino fuit, quo tui similis eram, mei autem tu similis evades nunquam.* Myndi amplissimas videns portas, inquit: *Myndit, portas claudite, ne urbs vestra egrediatur.* Scorti filium in turbam lapides mittentem videns, ait: *Cave, patrem ne ferias.* Interrogatus quid boni è philosophia tulisset? inquit: *Si non aliud, hoc saltem, ut ad omnem sim paras fortunam.* Quæ sibi patria? rogatus, ait: *Κοσμοπολίτης, Cosmopolita, hoc est, Mundi civis sum.* Sacrificanti, ut liberos suscipieret, dixit: *Ut bonos suscipiatis, non sacrificatis.* Dicenti, se Philosophiæ aptare non posse, ait: *Quid igitur vivis, si, honeste ut vivas, non curas?* Avaros hydropicis similes dicebat; ut enim isti aqua, sic & illi argento repleti, ad suam perniciem sitiunt, & bibunt, nec sitire desinunt. Ut mortuo medicina, dicebat, ita seni admonitio prodest. Non minus vitium dare indignis, ac dignis non dare. Quid difficillimum? rogatus: *Nosse seipsum.* Rogatus, quomodo conversandum cum iis, quibus summa potestas est? ait: *Perinde ac cum igne, ita nempe, ut neque accedamus proprius, quam par est, ne accendamus, neque recedamus, ne frigore obrigescamus.* Sicut oculos, & faciem, quæ tenerrimæ corporis partes sunt, hyeme non tegimus, sic etiam nec pedes tegendos, qui duriores sunt, dicebat. Plura lege apud citatos Autores. Scripta ejus enumerat Laërtius, & Sotion. Diogenis discipulus, & successor fuit

## M O N I M U S

**S**Yracusanus, ut Socrates testatur, mensarii cujusdam Corinthii famulus, vir quidem eloquens, & doctus, gloriæ, & divitiarum maximus contemtor. Hic ut à domino manumitteretur, vesaniam fingens, omnem mensæ pecuniam abjecit: unde à domino repudiatus ad Diogenem, deinde ad Cratetem Cynicum, aliosque sui ævi Philosophos se contulit. Scripsit ludicra quædam seriis mixta, & alia, inter quæ memorantur libri 2. de Appetitionibus, & Protrepticus. Monimi meminit Menander in Hippocomo. Sext. Emp. adv. Mathem 1. 7. ipsum cum Xeniade Corinthio conjungit, aitque, ipsum omnia putasse *innotiv*, *opinionem*, ac judicandi facultatem sustulisse. Fuere & alii Diogenis discipuli, inter quos

## O N E S I C R I T U S

**A**Einensis, sive, ut Demetrius ait, Astypalensis. Duos hic filios habuit, quorum Antisthenem natu minorem Athenas misit, qui Diogenem audiens, in patriam reverti noluit. Quare pater natu majorem Philiscum ad Antisthenem reducendum misit, qui pariter Diogenis doctrina captus una cum fratre ad patrem redire non curavit. Postremo pater Athenas venit ad filios; sed ipse, non secus ac filii, Diogenis eloquium miratus, ejus auditor factus est, ac inter præcipuos præceptoris discipulos numerari meruit. Hunc Laërtius Xenophonti comparat; ut enim hic Cyri castra secutus, Cyropaediam scripsit, sic & ille pugnantem sequens Alexandrum, Alexandri laudes literis tradidit, simili plane dicendi genere usus; cuius operis mentio apud Arrianum quoque est. Commentarium quoque de Rebus Indiæ scripsisse fertur, citatum à veteribus, præcipue à Plin. H. N. 2. 73.

## C R A T E S

**T**Hebanus, Ascondi filius, Diogenis ( quamvis Hippobotus Brysonis Achæi auditorem faciat ) discipulus, floruit circa Olymp. 113. philosophus quidem insignis, gloriæ autem, & pecuniæ contemtor strenuus fuit. Huic persuasit Diogenes, referente Diocle, ut omne suum peculium projiceret: quod eò constans perfecit, ut propinquos ad se venientes, ut eum à proposito dimoverent, saepe etiam baculo persecutus sit. Nobili igitur genere ortus cum esset, pingue suum vendidit patrimonium, ex quo omnia collecta talenta civibus divisit dicens: *Crates Cratetem liberat pecuniis, nolens Cratetem haberi ab ipsis, quæ tenet.* Demetrius tamen Magnesius refert, eum pecuniam omnem apud trapezitam, hac conditione deposuisse, ut si quidem filii sui idiotæ fuerint, eis pecuniam restitueret, qua vivere possint; sin contra philosophi evaderent, eam plebi distribueret: nihil enim philosophos egere, putabat. Facie erat deformi, animo vehementissimus, atque inter differendum ridebatur. Feminarum, quæ pudicitiam prostituerunt, acerbissimus erat insectator. Vitam omnem ridendo, & ludendo exegisse dicitur. Ex Philosophiæ studio hæc sibi allata commoda dicebat: *Chænix lupini, & cura nullius rei.* Ejus quoque fertur & istud: *Amorem sanat famæ, & tempus sedat; uti bisce si non possis, utere laqueo.* Tandem ex senectute curvus factus, morti jam proximus, ait:

- - - - *Vadis nunc, optime curve,  
Vadis ad Orci ædes longa gibbose senecta.*

Quantum sermone, ac philosophicis rationibus valuerit, ostendit Plutarchus in Demetr. ubi ait, ipsum Athenas obsidione liberasse; cuius verba sunt:

Cæterum missò ad ipsum philosopho à populo Cratete, claro viro, & magnæ autoritatis, partim illius adductus pro Atbeniensibus precibus, partim pensitatis illis, quæ Crates de rationibus suis subjiciebat sibi, solvit obsidionem, &c. Stylo plane Platonico Epistolas scripsit, egregiam, teste Laërt. Philosophiam continentes, & Tragoedias, sententiarum gravitate commendatissimas. Filias discipulis locavit, ut ipse ait:

*Eis probandas ter decem mittens dies.*

Cratetem audivit

### M E T R O C L E S

**H**ipparchiæ, Cratetis uxoris, frater, postquam Theophrastum Peripateticum, & Xenocratem audivit. Pusillo adeo erat animo, ut ex ventris crepitu inter recitandum facto, tali animi pudore, & tristitia affectus sit, ut intra cellam se abdens, mori fame vellet. Quod ut Crates audivit, cellam ingressus non solum verbis ipsum solatus est, quod rem necessariam, & quæ omnibus fieri soleat, fecisset; sed lupinis de industria voratis, ipse etiam perebere cœpit, sicque eum servavit. Cratetis inde disciplinæ se dedit, ex qua Philosophus clarissimus evasit. Libros à se scriptos ipse combussit, teste Hecatone, dicens: *Hæc somniorum sunt imaginacula, quasi nugæ.* Dicitur etiam Theophrasti Magistri sui dictata combustisse. Divitias, dicebat, nocere, nisi quis recte utatur. Res quidem alias pecunia comparari, ut domus, alias verò tempore, & diligentia, ut artes liberales. Tandem senex obiit laqueo à se suspensus.

### H I P P A R C H I A

**M**aronita, Metroclis soror, Cratetis vero Uxor. Hæc puella pulcra, & honesta cum esset, tanto Cratetis amore accensa est, ut nulla prorsus procorum excellentia, opibus, vel nobilitate ab hoc amore abduci potuerit; sed hæc omnia, dicebat, mihi Crates est: imo & parentibus saepè minabatur, nisi huic nuberet, seipsum occisuram. Quare cum parentes ejus Cratetem rogassent, ut eam ab hoc proposito averteret, postquam Crates omnia ad persuadendum frustra dixit, omnem Cynicam suam supellectilem ante illius oculos exponens, ait: *Hic sponsus, hæc tua possessio est, ad hæc delibera; non enim nostri consors esse poteris, nisi eadem prorsus studia attigeris.* Quod puella continuò eligere non est verita; unde sumto Cratetis habitu, una cum viro circuibat, & in aperto congregiebatur. Hæc, referente Laërt. Theodorum impium in Lysimachi convivio redarguit, illi hoc sophisma objiciens: *Quod faciens Theodorus injuste facere dici non posset, hoc neque Hipparchia faciens, injuste facere dici posset: sed Theodorus seipsum feriens injuste non facit; ergo Hipparchia Theodorum feriens, injuste non facit.* Cui quidem sophismati ille nihil respondit, sed ejus pallium revolvit, corpusque nudavit. Hanc tamen injuriam non ut mulier territa, & turbata, sed æquo philosophantis animo suscipiens, Theodoro sibi dicenti, quod radios apud telas ipsa reliquisset, respondit: *Equidem, Theodore; non tamen errasse me putem, quæ tempus in telis consumendum Philosophiæ impendi.* Sunt & alia plura hujus philosophantis feminæ dicta, & scripta, in quibus altissimo Philosophiæ stylo, Platonici simillimo, ipsa optime philosophatur; præcipue liber Epistolarum, qui Crateti inscribitur, ac Tragœdiæ elegantissimæ. Sequitur alijs Cratetis discipulus

## M E N I P P U S

**P**Atria Phœnix, conditione servus, ut refert Achaicus. Serium scripsit nihil. Hermippus eum *Hemerodanistam* vocatum ait, hoc est, *Quotidianum fæneratorem*; nautica potissimum usura delectatum, ex qua plurimam sibi pecuniam comparavit. Hac tamen deinde per insidias privatus, laqueo sibi vitam ademit. Cynicorum tandem ultimus

## M E N E D E M U S

**C**oloti Lampsaceni discipulus fuit. Prodigiosæ superstitionis vir traditur Hippoboto; furiæ enim habitu sibi assumto loca omnia circuibat, dicens, se ex inferis speculatorum venisse in eos, qui peccarent, ut illuc rediens, inferis ea, quæ vidisset, nunciaret. Talaris hæc sua vestis erat, puniceo adstricta balteo, pileus Arcadicus, habens intexta duodecim elementa; cothurni Tragici, barba prolixa, & virga in manu fraxinea. Atque hæc de Cynicis, quibus Sidonii ævo deficientibus, ut ipse significare videtur hoc versu:

*Exclusi prope jam Cynici vix limine restant,  
Stoici ex ipsis derivarunt; ad quos gradum facio.*

## C A P U T X.

*De Philosophis Stoicis.*

**S**toicæ Sectæ originem Cynicæ deberi, ut diximus, apud omnes Scriptores in confesso est. Quamvis autem Stoici cum aliis Sectis convenerint; quod ex eo factum est, quia Zeno hujus Sectæ autor plurium sectarum philosophos præceptores habuit, ut supra dictum est; cum Cynicis tamen societatem haberunt, & in dogmatis maxime convenerunt, tunica tantum, & verecundia discrepantes. Unde Satyricus:

*Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata curat,  
A Cynicis tunica distantia . . . . .*

Videndum nunc est, quomodo haec Sectam instituerit ejus caput

## Z E N O

**E**X Mnaseo, sive, ut aliis placet, Demeo patre mercatore natus Cittii, quæ maritima in Cypri insula urbs est, Phœnicibus potissimum habitata, unde & Phœnicius, Pœnus, & Pœnulus, referente. Suida in Zen. quibusdam dictus est. Cratetis vero discipulus hoc modo factus dicitur Laërtio in ejus vita. Cum ex Phoenicia purpuram mercatus rediret, ad Piræum naufragium fecit. Quæ jactura occasionem illi fecit, ut Athenas annos natus 17. ut quibusdam traditur, vel 22. ut Persæo, vel 30. ut Laërtio, veniret; sedensque juxta librarium, ibique secundum Xenophontis Commentariorum legens, ejus lectione nimis delectatus à bibliopola peteret, ut ubinam tales viri degerent sibi indicaret. Cumque opportune Crates transiret, eum Zenoni indicans dixit: *Hunc sequere.* Quare ex eo tunc Cratetis discipulus factus est. Verum quamvis ad philosophandum alioqui aptissimus, verecundior tamen, quam ut se ad impudentiam Cynicam accommodaret. Audivit quoque Stilponem, & Xenocratem decennio continuo, & Diodorum Cronum, referente Hippoboto, &

Po-

Polemonis auditorium frequentavit, ut præter alios testatur Timocrates in Dionē. Ajunt etiam, Zenonem, cum ex naufragio Philosophus jam Athenis evaderet, dixisse: *Tunc primum secundis ventis navigavi, cum naufragium feci.* Demetrius tamen Magnesius in *Æquivoc. refert*, Mnaseum Zenonis patrem, utpote mercatorem, sæpe Athenas adventasse, atque inde plures Socratis libros ad filium portasse; qui Philosophiæ studio accensus Athenas venit, ut Philosophiam disceret.

Timotheus Atheniensis in lib. de Vitis, & Apollonius Tyrius, talem habent de Zenone descriptionem, ut & Laërt. in Vit. Collo fuit oblongo, & in alteram partem inclinatiore; corpore gracili, & procero; cruribus turgidis, imbecillibus, & infirmis; cute atra; unde Chrysippus s. Proverb. eum dixit *Ἄργυρον κληματίδα, Ἀιγύπτιον παλμitem*: facie gravi, & severa; gestus ei erat tristis, & acer; frontem enim rugare, & ora contrahere consueverat. Severitate autem non obstante, facilem se omnibus præbebat, itaut sæpe Antigonus Rex cum ipso cœnaret, & cum eo ad Aristotelem Musicum iret comisatum. Ejus victus tenuis nimis; pane enim, & melle, & libenter quoque ficubus viridibus, & ad solem exsiccatis vescebat.

Hinc in Comœd. de Philosophis Philemon.

*Cum pane caricas vorat, & aquam bibit,  
Exercet ignotum Philosophiæ genus,  
Docet esurire . . . .*

Quare in proverbium apud antiquos erat: *Zenone continentior*. Hecaton, & cit. Apollon. Tyr. l. i. de Zen. referunt, eum Oraculum consuluisse, ut sibi indicaret, *Quo pacio vivere optime posset?* & responsum habuisse: *Si mortuis concolor esset*. Quare magno studio se ad legendos antiquorum libros dedit, ex quorum continua lectione mortuis concolor evasit; ex hac autem lectione multum profecit, erat enim acri ingenio, & sapiens nimis: hinc Carneades adversus eum scripturus cerebrum aliquoties albo elleboro purgavit, ut ait Gellius lib. 17. c. 25. Vestis ei vilis erat, unde de eo dictum:

*Hunc non acris hyems domuit, non frigidus imber,  
Non solis radii, non vis deterrima morbi,  
Nec quicquid vulgo pretiosum, invictus at unus  
Instabat gravibus studiis noctesque, diesque.*

Magno inde semper in honore ob suam sapientiam, morumque probitatem apud Athenienses fuit, adeo, ut Urbis, & mœnium claves apud ipsum depонerent, eique soli publica libertas tutissimè concrederetur. Magni quoque eum faciebant concives ejus tum Cyprii, tum Sidonii, eique post mortem, non secus ac Athenienses fecerunt, statuam ex ære posuerunt, magno sibi ornamento tanti Viri imaginem fore putantes. Antigonus etiam Gonata, Macedoniæ Rex, virtute non minus, quam autoritate conspicuus Princeps, quoties Athenis erat, illum audire consuevit, literisque rogavit saepius, ut ad se erudiendum veniret, ut cit. Apoll. Tyr. qui Literas servavit, testatur. Quod cum ipse ob senectutem, octogenarius enim erat, facere non posset, discipulos ei cum literis misit, qui eum erudirent.

Postquam vero Zeno eos omnes Philosophos, quos diximus, audivit ad annos 20. se ad Porticum quandam Athenis celebrem convertit, quæ Στοὰ Πορτίκη, *Porticus Varia*, propter varias periti Polygnoti picturas, & Pisianadīa etiam appellabatur. Volens igitur locum illum stabilem, nec ullis ultra seditionibus violabilem facere (ibi enim Athenienses ad 1430. ab Athenarum Tyrannis occisi fuerant) in ea discipulos docere coepit, qui à Porticu, quæ Græce dicitur Στοὰ, dicti sunt Στοιχοὶ, Stoici, Latine *Porticenses*, vel Por-

Porticuarii ( prius enim , ut Epic. in Epist. ait , à Præceptoris nomine Zeno-nii dicebantur ) quo etiam nomine appellabantur Poëtæ , qui in ea morabantur . Qui Stoici Philosophi ad Apostolorum usque tempora durasse creduntur ex eo , quod in Act. Apost. traditur , eos , Divo Paulo , de Resurrectione docenti , restitisse .

Zenonis præcipua dicta , & facta hæc traduntur . Edaci cuidam , nihil obsoniorum sociis inter convivandum relinquenti , appositum ingentem pisces sustulit , quem solus comedere velle videbatur ; illi autem transversim in eum intuenti ait : *Socios semper te tolerare putas , qui meam edacitatem semel tolerare non vales ?* Brevis erat in dicendo , & circumcisus ; hinc cuidam dicenti , brevia esse Philosophorum dicta , respondit : *Evidem ; oportet enim , fieri si posset , breves esse illorum & syllabas .* Cum animadverteret quendam ex discipulis inflatum , ac sui plenum , illum percutiens ait : *Non si magnus fueris , bonus eris , sed si bonus , magnus .* Nihil fastu indecentius esse , dicebat , maxime in juvenibus . Adolescenti loquaci dixit : *Aures tuæ in linguam defluxere .* Similiter & adolescenti inepta multa loquenti ait : *Ideo nos habemus aures duas , os unum , ut plura audiamus , quam loquamur .* Cæteris inter pocula eruditionem ostentantibus , interrogatus cur ipse solus taceret ? respondit : *Nihil magis quam silentium difficile est .* Unde & dicere solebat : *Melius est pedibus , quam lingua labi .* Interrogatus quisnam esset amicus , respondit : *Alter ego .* Cuidam unguentis delibuto ait : *Quis mulierem olet ?* Dicebat : *Vi-ve , homo , non solum ut edas , & bibas , sed ut vita ad beatam vitam acqui-rendam utaris .* Hoc etiam : *non esse querendum , sintne homines ex magnis civitatibus , sed an magna digni sint civitate .* Reliqua vide apud Laërt. Stob. aliosque . Ajunt , eum jurare solitum per capparim , sicut Socrates per canem . Uxores ipse etiam in Rep. communes statuebat .

Denique postquam Scholæ præfuit , referente Apoll. annis 58. mortuus est annum agens 98. ut ajunt Laërt. & Lucian. Quod autem nonnulli , Persæi autoritate ducti , illum mortuum dicunt an. æt. 72. ex eo falsum evincitur , quod ipsem Zeno ad Antigonus scribens octogenarium se esse fatetur . Omnem ætatem morbis expertem duxit . Hæc autem mortis occasio traditur . Cum è schola rediret , offendit in lapidem , digitumque confregit ; unde manu terram feriens illud ex Niobe dixit : *Ἐρχομαι , τι μ' άνεις ; Venio , cur me vocas ?* Quæcum dixisset , se jugulando interiit . Sunt qui dicunt , ipsum non sic , sed annis consumptum , alii fame , periisse . Athenienses deinde eum nobili sepultura , ærea statua , & aurea corona honorarunt .

Zenonis discipulos , eorumque scripta enumerat Laërt. in ejus vita . Nos vero potissimos , & in Schola successores breviter infra trademus . Videndum tamen antea , quæ in genere fuerit

### STOICORUM DOCTRINA.

**O**Mnis Stoicorum Philosophia in tres partes dividebatur , in Logicam scilicet , Ethicam , & Physicam . Philosophiam quidam animali assimilabant , cuius ossa , & nervi Logica , caro Ethica , anima Physica sit . Alii eam ovo , alii agro frugifero , alii denique civitati munitæ assimilabant . Stoici in Logica , quam in Rheticam , & Dialetticam dividabant , maxime exercebantur : quin dicere solebant , solum Dialetticum esse sapientem . Imo Aristoteles ipse in Sophista ingenuæ fatetur , Zenonem Dialetticæ fuisse inventorem . Quam Dialetticam ipse similem esse dicebat manui in pugnum contractæ , Rheticen vero eide in manui expansæ in palmam : ut in hoc velut sermonis ædificio

ficio Grammatica cædat ligna , & lapides . Logicæ partium definitiones, divisiones, & munera fusius habet Laërt. in Vita Zen. ubi scientiarum etiam omnium , quas ipsi profitebantur , earumque præcipuorum dogmatum rationem habet.

Ethicam Philosophiæ partem dividunt in hæc capita . De Appetitu , de Bono , & Malo , de Passionibus animi , de Virtute , de Fine , de Prima Æstimatione , de Actionibus , de Officiis , de Exhortationibus, & Dehortationibus. Zeno in lib. de Nat. hom. nostræ vitæ finem dixit : *Consentaneè secundum naturam vivere;* hoc est, secundum virtutem, ad eam enim natura nos dicit ; nostræ namque naturæ omnes , ut Chrysippus ait , partes sunt naturæ Universi. Quæ definitio conformis videtur definitioni Diogenis , qui ait : *Finis est Rationi rite obtemperare in iis eligendis , quæ secundum naturam sunt.* Et Archedemi : *Nihil officiorum omittendo vivere.* Idem Chrysippus 4. Quæst. Nat. Zeno , & Persæus , peccata omnia paria existimant: Nam si verum , inquiunt, vero majus non est , nec falsum falso majus erit , ita nec fraus fraude , nec peccatum peccato . Quid vitii , virtutis , & neutrius ; quid boni , mali , & neutrius nomine apud Stoicos venerit ; & quam optime in moralibus præcipue , & logicis philosophati fuerint , vid. Laërt. ib. ubi totius Stoicæ Philosophiæ epitomen habet , Stob. aliique , præcipue vero cit. Stob. in Ecl. Eth. ubi fusius ex Stoicorum sententia de Offic. agit , & de Paradox. Sapientum , ibique omnes Sapientis virtutes , & characteres exponit .

In Physicis hæc potissima Stoicorum dogmata sunt: Differunt Principia, ajunt , & Elementa ; illa enim ingenita sunt , & corrupti non possunt ; hæc vero per igneam evaporationem corruptuntur : illa etiam corporea sunt , & informia , hæc autem formata . Duo sunt rerum Principia , Agens , & Patiens; Patiens est Substantia , sive Materia sine qualitate . Agens autem est Verbum, sive Ratio , Græcis Λόγος , Deus , qui in ipsa est ; ipsumque sempiternum per ipsam omnia creare, dicunt. Sic Zeno Cittieus in lib. de Essentia , Cleanthes in lib. de Atomis , Chrysippus , aliique .

Apollodorus in Physica Corpus appellat , quod secatur in tria , longitudinem , latitudinem , & altitudinem , atque hoc solidum appellat . Superficiem dixit corporis finem , sive corpus longitudinem , & latitudinem habens sine altitudine , Linea superficie finis est , sive corpus longitudinem habens sine latitudine . Punctum denique lineæ finem , notamque minimam ait . Corpus in infinitum dividi potest , infinitis tamen non constat corporibus. Stob. Ecl. Phys. c. 17. p. 32.

Zeno in lib. de Univ. aliique , Deum unum esse dixerunt , eumque Mentem , Fatum , Naturam , & Jovem , multisque aliis nominibus appellari. Hic autem Deus principio substantiam omnem , quæ erat apud se , per aërem in aquam convertit ; ut quemadmodum in fœtu semen continetur , ita & in hac omnium rerum semina continerentur . Ex hac autem primum genita dixerunt quatuor Elementa , Aquam , Terram , Aërem , & Ignem . Quæ sententia ex illa Thales , & Anaximandri simul diducta videtur ; Anaximander enim ex Præceptoris Aqua quatuor dicta Elementa primus conflavit . Elementum vero Stoici cum Peripateticis appellant , ex quo primum prodeunt , quæ fiunt , & in quod extreum solvuntur . Elementorum quoque Ignem calidum , Aquam liquidam , Aërem frigidum , Terram aridam esse voluerunt .

Mundus est qualitas universæ substantiæ , sive ut Posidonius in Meteoricis Præceptis ait , qui constat ex Cœlo , & Terra , atque ex illorum naturis , sive qui constat ex Diis , & Hominibus , illisque rebus , quæ illorum gratia conditæ sunt ; qui regitur , & administratur secundum Mentem , & Providentiam , Mente per

te per omnes illius partes pertingente, sicut in nostra anima contingit. Quem Mundum Antipater Tyrius in 8. de Mundo, animatum dixit, & rationale animal, unum tamen esse, finitum, & corruptibilem, globosa figura donatum, ut ad motum aptior sit. Extra Mundum vero circumfusum esse Vacuum immensum, quod sit incorporeum. Id autem incorporeum esse, quod à corporibus contineri queat, non autem contineatur. Porro nihil in Mundo esse vacuum, sed inter se mirabili unitate devinctum esse: quæ unitas cœlestium ad terrestria concordiam, & congruentiam parit. Hic tamen Mundi, & Elementorum generationis modus est.

Quum substantia ex Igne per aërem versa fuerit in humorem, crassior ipsius pars in Terram versa fuit, subtilior in aërem cessit, eadem vero magis magisque extenuata in ignem evasit. Tempus definiunt, esse intervallum mundani motus: Solem esse purissimum ignem, orbicularem, terra majorem: Lunam plus de Terra habere, & lumen à Sole mutuare; deficere vero, cum Soli ex parte, qua Terram respicit, se opposuerit.

Iridem dixere radios ex humidis nubibus reflexos: Coruscationem accensionem nubium à ventis ruptarum, ut ait Zeno in lib. de Univ. Tonitru esse fragorem ex nubium collisione natum. Sic discurras de reliquis Meteoris; quibus omnibus Cartesii sententia uniformis videtur, sicut in omnibus fere physicis dogmatis, & systemate. Putant insuper in hoc Visionem consistere, ut id, quod inter visum, subjectumque lumen est, in coni speciem intendatur, cuius basis prope id, quod cernitur, sit. Porro audire, cum aér, inter loquentem, & audientem medius, verberatur orbiculariter, deinde sic agitatus auribus influit; non secus ac cisternæ aqua à lapide injecto percussa, per orbes agitatur.

De Deo denique nedum bene, sed & religiose sentire videntur Stoici, dum ajunt, Deum esse Animal, hoc est, Animal Ens, immortale, rationale, perfectum, ac beatum, à malo omni remotissimum, quod Providentia sua Universum hoc regit, cuius ipse opifex, & omnium pater est: itaut omnium Deorum nomine Deus hic solus veniat, prout varie juxta suas proprietates accipitur. Sic in aëre consideratus Juno dicitur, in Terra Ceres, in Mari Neptunus, in igne Uulcanus &c. Fatum vero, quo omnia fieri Zeno, Chrysippus, aliqui dicunt, per eos non est, nisi Connexa rerum series, sive Ratio, per quam Mundus gubernatur. Demum præter Deum, Dæmonas quosdam esse volunt, humanarum rerum inspectores, quibus hominum miseratio, & cura demandata sit.

Atque hæc est omnis Stoicorum doctrina compendifacta, quæ ex multis Sectis veluti decerpta videtur ex eo, quia Zeno hujus Sectæ autor plurim. Sectarum Philosophos habuit præceptores, ut supra quoque dictum: semper autem Arcesilao contradixit, nec Peripateticis assentita est. Cum Academicis tamen, & Cynicis omnium maxime in dogmatis conveniebat, ut diximus. Plura qui cupid, adeat Laërt. lib.6. Epist. Enchir. in Moral. Simplicium in Scholiis; Arrianum in Dissert. ab Epict. collectis; Barlamum Episc. Gyracensi. in Physicis; Cleomedem in Meteor. Senec. Plut. Cic. in Paradox. & alibi. Stob. Ecl. Phys. & Ethic. Scoppii Moral. Stoic. ac in primis Lips. Manuductionem ad Stoicam Philosophiam, & Physiologiam Stoicorum.

Zenonem præter alios audivit Persæus Cittieus, Herillus, Aristo Chius, Dionysius, & Athenodorus Solensis, cuius meminit Seneca. Ex his Herillus Carthaginensis hominis finem, & felicitatem statuit solam Sapientiam: vixit an. Romæ 475. Olymp. 125. Aristo Chius, cognomento Siren, qui vixit Olymp. 126. circa an. Romæ 478. aliqua Zenonis doctrinæ adjecit, ut alterius Sectæ autor quibusdam videretur. Summum bonum dixit Indifferentiam in iis omnibus,

bus, quæ Vitium inter, & Virtutem sunt. Unde ajebat, sapientem similem, esse optimo cuique Comœdo, qui æque bonus Comœdus erit, si servi, quam si Regis personam repræsentet, modò bene in utrolibet agendo se gerat. Physicam, ac Logicam respuens, solam Moralem amplectebatur; Logicorum rationes araneorum telis similia dicens, quæ licet mira arte elaboratae, inutiles tamen sunt. Magnam in suadendo vim habebat. Scripsit Dialogos de Dogmatis Zenonis; Commentaria de Usu; Epistolas, atque alia. Dionysius Heracleus, cognomento Desertor, Theophanti filius, Heraclidis, Menedemi, Alexini, & tandem Zenonis discipulus fuit, Poëseos amator, & Stoicæ Philosophiæ sectator. Hanc deinde respuens, Cyrenaicæ se addixit, ac Voluptatem vitæ finem statuens, lupanaria frequentare non est veritus. Gravi oculorum dolore affectus, experientia didicit, dolorem non esse quid indifferens, ut docebat. Octogenarius cum esset, voluntaria fame mortuus est. Præter Athenodorum Solensem fuere ejusdem nominis duo, ambo Tarsenses, & Stoici, quorum alter, qui Cordilion dictus, cum M. Catone vixit, & apud eum mortuus est. Alter Bonavita, à vico quodam, appellatus, Augusti præceptor; qui, ut ait Suidas, cum ipsum ad iram procliviorē videret, hoc ei præcepit: *Cum ira te, Cæsar, cæperit, nihil prius vel dixeris, vel feceris, quam 24. Græcarum literarum elementa tecum ipse percurreris, ut ita ira illa, quæ momentosa est, parvi temporis interiectu languescat.* Ab Augusto in concessis habuit, ut Tarsus nullum solveret tributum. Plura scripsit, quæ Cæsari dicavit. Zenoni successit

## CLEANTHES.

**P**Haniæ filius, Assius, quod Atti Lyciae urbe ortus fuerit. Hic Cratetem, primū audivit, deinde Zenonem annis 19. Inops erat adeo, ut præceptoris dictata testis, boumque ossibus exciperet, omni ad chartas emendas pecunia destitutus. Imò, ut interdiu Philosophiæ studiis vacare posset, noctu aquis ē puteis hauriendis manus locabat, farinam pinsebat, terramque colebat. Hinc Antigono quærenti cur aquas hauriret? respondit: *Num aquas vero haurio solum? nonne & fodio, & rigo, & omnia facio studio Philosophiæ?* Ex hoc factum, ut ipsum οφειντλω, hoc est, puteos exhaerientem, & Novum Herculem appellant. Ita Laërt. in Vit. & Hesych. Illustr. & Arrianus in Epict. I. 3. c. 27. qui ait: *Ubi Cleanthes simul & studiis vacans, & aquam hauriens?* Magnus plane vir fuit, ut ex ejus, quæ extant, reliquiis colligere licet; ingenio tamen obtuso, & tardissimo, cuius ipse tarditatem labore, studio, & diligentia vincebat: quo vitæ instituto obtinuit, ut unus ex multis Zenoni succederet.

Vitæ finem, & beatitudinem posuit in *Vivendo naturæ convenienter, & in bene ratiocinando*; quod in iis, quæ sunt secundum naturam eligendis situm esse statuit, ex Clem. Alex. 2. Strom. & I. 2. de Volupt. idem Cleanthes dicit, Socratem ubique docere, idem esse virum justum, & beatum; eumque execrari, qui primus divisit justum ab utili, ut qui rem fecerit impiam. Quām bene autem hic de Deo senserit, docet cit. Clem. in Admon. ad Gentes, & 5. Strom. ubi Cleanthis versus citat, quibus non poëticam Theogoniam, sed veram Theologiam ipsum ostendisse fatetur.

Ex ejus Apophthegmatis hæc notatu aigniora. Condiscipulis ipsum obtestantibus, & asinum appellantibus respondit: *Se solum ferre Zenonis sarcinam posse.* Iisdem timiditatem sibi exprobrantibus ait: *Hæc vero, ut minus peccem, efficiet.* Peripateticis idem accidere, dicebat, quod literis (alii scribunt lyris) quæ cùm bene sonant, seiphas tamen non audiunt. Dicere etiam solebat. *Indos à brutis animalibus sola forma differre.* Interroganti, quomodo posset dives

dives evadere? respondit: *Si desideritis pauper evadas. Optimos plures scripsit libros, quos refert Laërt. ib.*

Denique annos natus 80. ex Laërt. vel 99. ex Lucian. de Longæv. sic mortuus traditur. Quum illi in gingiva, vel in labiis, ut Lucian. vel sub lingua, ut Stob. refert, ulcus putridum nasceretur, & ex cibi abstinentia, ipsi à medicis indicta, convalesceret, cibum deinde ei ab iisdem, ut vires resumeret, oblatum recusavit, dicens: *An mihi suaderitis, maxima viæ parte superata, ut reverterer, atque de novo iter istud ingrediar?* Magnam igitur vitæ partem se absolvisse dicens, per biduum inde omni cibo abstinenſis inedia mortuus est. Simplicius in Epict. c. ult. ait, se egregiam à Sen. Rom. statuam Assi Cleanthi positam vidisse. Multis etiam, præclarisque elogiis à Cic. insignitur, à quo l. 3. de Nat. D. Pater Stoicorum dicitur. Et 4. Acad. Qu. Majorum gentium Stoicus appellatur. Et Sidon. Carm. 2.

- - - - arroso quicquid sapit ungue Cleanthes.

Præter Sphærum Bosporanum, fuit etiam Cleanthis discipulus

### C H R Y S I P P U S

**S**olensis, quod Solis, Ciliciæ urbe, natus sit, quæ & Pompejopolis dicta est; vel Tarsensis, ut Laërtio, & Suidæ dubitatum, quod ex Apollonio, sive Apollonide Tarsensi patre natus, qui Solos deinde sedem translulit. Vir fuit, ut Ciceronis verbis utar, vaserrimus, & ingenio acri; honorum aspernator maximus, itaut Ptolemæi præceptor esse recusaret, ad quem eruditum Sphærus à Cleanthe missus pro eo est. Paucis contentus, unius vetulæ ministerio utebatur, quæ ipsum ad quingentos versus quotidie scribere testata est. Zenonem, sive, ut Diocli placet, Cleanthem audivit, à quo etiam vivo dissernit. Arcesilao etiam, & Lacydæ in Philosophiæ studiis se adjunxit, Academicis saepe usus argumentis. De se elate nimis sentiebat, dicens, si sciret aliquem se doctiorem, ab eo se Philosophiam audire paratum esse. Corpore erat tenui, & imbecillo, ut ex ejus statua, quæ in Ceramico est, videri potest. Quam statuam in Gymnasio, quod à Ptolemais nomen habuit, Pausanias Attic. c. 17. positam dicit. In copiosis potationibus mente non movebatur omnino, sed crura tantum agitabat; itaut ejus ancilla diceret, *Chrysippi sola crura inebriari.*

*Sapientem dolere, dicebat, non tamen perturbari; ejus enim mens dolori non cedit.* Audiens, sibi quosdam obtrectare, ait: *Hæc se non curare; ita tamen se gesturum, ut ne fidem inveniant.* Interrogatus cur ad Remp. non accederet? dixit: *Quia qui male eam administraverit, Diis, qui bene, civibus displicebit.* Quæ scripsit volumina omni quidem laude digna septingenta quinque à Laërt. numerantur.

Hoc de Chrysippo autorum judicium est. Sen. de Benef. 1. 3. subtile, dixit, penes Chrysippum est illud acumen, & in imam penetrans veritatem, qui rei agendæ caussa loquitur, & non ultra, quam ad intellectum satis est, verbis utitur. Sed ib. c. 4. ait, acumen ejus nimis tenui, & in se saepe replicari, etiam cum agere aliquid videtur, pungere, non perforare. Cic. l. 1. de Fin. scribit, *Nihil esse à Chrysippo prætermissum in Stoicis.* Et Laërt. *Nam nisi fuisset Chrysippus, Porticus non fuisset.*

Tandem cum jam annos 73. vixisset, Olymp. 143. ut refert Apollod. in Chronic. ex spiritus angustiis, sive ex vertigine, ut Hermippus in Odeo ait, à dulcis meri haustu producta, quinta die mortuus est. Alii, quod ex immodi- co risu, asinum ficus comedentem videns, & ancillæ, ut asino vinum daret, di-

cens, mortuus sit, dicunt, postquam diu in Lyceo docuit.

Præter Zenonem Tarsensem, sive Sidonium, ut alii dicunt, ex Dioscoride patre ortum, Chrysippi in Schola successorem, plurimorum quidem discipulorum magistrum, sed paucorum librorum scriptorem; Chrysippum audivit

### D I O G E N E S

**S**Eleuciæ natus, & Babylonicus dictus ob loci viciniam. Cic. Tusc. Qu. 3. 12. ipsum magnum, & gravem Stoicum appellat. Seneca 3. de Ira 38. ait, ipsum leniter, & sapienter tulisse, quod protervus adolescens ei de ira differenti in faciem conspuerit. Unus fuit ex Legatis, Athenis Romam missis. Cic. de Senect. eum ad longam usque senectam vixisse testatur. Idem de Nat. D. 1. 15. ipsum inter alia librum de Divinatione, & alterum, qui Minerva inscribitur, scripsisse, ait. Hujus meminere præter dictos, Cic. aliis in locis, Gell. 1. 7. c. 14. & Macrob. 1. Saturn. c. 5. Hujus discipulus fuit

### A N T I P A T E R

**S**Idonius, quem Cic. 3. de Offic. acutissimum hominem vocat; & Sen. Ep. 92. inter magnos hujus Sectæ autores refert. Hic Carneadi oppugnanti nunquam voce, sed calamo solum respondebat, unde & Καλαμοβόδης, Calamoclamator dictus est, ut ait Plut. de Garrulit. p. 54. Inter alia duos de Divinat. scripsit libros: item de Discordia Cleanthis, & Chrysippi. Extant etiam ejus plura Epigrammata passim in Anthologia, & Sophismatis cuiusdam solutio apud Sen. Ep. 87. Val. Max. & Plin. referunt, Antipatrum quotannis in natali suo die febri ephemera, hoc est, unius diei, laborasse, ac ipsa tandem periisse. Vixit Olymp. 171. Fuit alias Antipater Tarsensis, Philosophus item Stoicus, ex illustri familia ortus, qui vixit circa Olymp. 160. Huic Athenæus tribuit tractatum unum de Superstitione, atque alterum de Bile. Antipater quoque fuit Tyrius, & ipse Stoicus, coævus Sidonii, atque Catonis minoris præceptor. Antipatrum audivit.

### P A N Æ T I U S

**R**hodius, Lælii, & Scipionis Africani familiaris, & in Alexandrino itinere comes, ut testatur Cic. 4. Acad. Qu. & Plutarchus in Apophth. Princeps prope Stoicorum, & Stoicorum gravissimus eidem Ciceroni loc. cit. & Offic. 2. appellatus. Hic licet Platonis admirator fuerit magnus, eumque divinum, sapientissimum, sanctissimum, Homerum Philosophorum appellaverit; ejus tamen de Immortalitate sententiam improbabat, & argumentis confutare conabatur. De Astrologorum divinandi vi dubitabat. Tres de Offic. libros scripsit à Cic. commendatissimos 3. de Offic. & de Providentia. Diu vixisse Lipsius ex eo probat, quod Cicero ex Posidonio tradat, eum editioni suorum librorum de Officiis triginta annis superstitem fuisse. Tandem

### P O S I D O N I U S

**A**pameæ in Syria natus; Rhodius autem dictus, quod Rhodi vixerit, & docuerit, ut testantur Athenæus, & Strabo, qui l. 16. eum virum Πολυμαθέσαντον sui ævi, hoc est, doctissimum appellavit. Ad hunc Rhodi Remp. admittantem, ut idem l. 14. refert, Pompejus è Syria abiens deflexit, ut ipsum audi-

audiret, eique hoc honoris habuit, referente Plin. l. 7. c. 30. ut *Percuti de more fores à licore vetuerit, & fasces januæ submiserit is, cui Oriens se, Occidensque submiserat*. Deinde magnum hunc Philosophum visens, & copiose disputantem de hoc, *Quod Nihil bonum sit, nisi quod honestum est*, audiens; cum ipsum graviter arthritide laborantem vidisset, valere jussit, & imperare quid vellet. Cui Philosophus

*Rem gere præclare, atque aliis præstare memento.*

Sphæram confecit, quæ suis conversionibus Planetarum omnium motus æmulabatur. Quinque libros de Divinatione, & alios quinque de Nat. Deorum scripsit, quos laudat Cic. in suis ejusdem argumenti operibus. Pompeji quoque res gestas descripsisse, Strabo l. 11. affirmat. Romam, ducente M. Marcello, venisse, Suidas in Posid. ait; ipsumque ibi se vidisse Cic. de Nat. D. 1. 3. & audivisse fatetur; & cum Scipione, Carthaginis domitore, convixisse traditur Athenæo l. 14. Atque hæc de Stoicorum schola, quæ in Posidonio in Græcia terminavit. Stoicus enim etiam fuit Archedemus, qui voluntario exilio ad Parthos profectus, Babylone suæ sectæ successores reliquit, ut tradit Plut. l. de Exilio, Tull. 4. Acad. & Strabo l. 14. Stoicus etiam Sotio fuit, quem Sen. præceptorem agnoscit Ep. 49. & 58.

Fuere quoque ex nobilissimis Romanorum, qui hanc Sectam secuti sunt, Tubero, Cato, Varro, Thraseas Pætus, Helvidius Priscus, Rubellius Plautus, & Imperator M. Antoninus, cujus tempore, ut Sext. Emp. narrat, plures erant Stoici præ aliis sectis. Hæc enim animum ad contemnum rerum humanarum, & patientiam in adversis formabat. Unde Sen. de Const. Sap. c. 1. ait: *Tantum interesse inter Stoicos, & cæteros Sapientiam professos, quantum inter viros, & feminas.* Et Ep. 83. eam vocat *Fortissimam, & Sanctissimam sectam.* Et Divus Hieron. in Esaiæ c. 10. *Stoici cum nostro dogmate in plerisque concordant.*

Ex antiquis etiam Theologis plures Stoici fuere, ut Pantænus Alexandrinus Antistes, qui, referente cit. Hieron. ad Indorum Brachmanas missus est, ut Christum prædicaret, Philosophus Philosophos facilius converteret, Stoicus Brachmanas, cum quibus in multis conveniebat. Eius discipulus Clem. Alex. qui se Stoicum passim prodit. Et de Stoicis satis, qui, juxta ordinem à Laërt. constitutum, postremi in scholæ successione ex Thalete derivarunt.

## C A P U T XI.

### *De Secta Italica.*

**Q**UAMVIS hæc secta Jonicæ propago censeatur, quod ejus autor Thaletis discipulus fuerit, ut Jambl. in Vita Pythag. testatur; ab illa tamen ratione loci, autoris, & doctrinæ diversa est; nomenque ab Italia, in qua hæc secta instituta est, accepit. Ab illa igitur Italizæ parte, quæ à frequenti Græcum Coloniæ concurso Magna Græcia dicta est, hæc secta Italica dicitur; quam ad nonam usque, & decimam generationem durasse, plures testati sunt. Eius autor fuit celeberrimus ille

## P Y T H A G O R A S

**S**Amius, quod in Sami insula ex patre Mnesarcho, juxta Hermippum, annorum sculptore, mercatore, juxta alios, & matre Pythaide natus sit, ut ait

ait Hippobotus, cui senior veterum scriptorum pars adsentiri videtur. Aristoxenus vero in Vit. Pyth. Aristarchus, & Theopompus, referente Clem. Alex. 1. Strom. eum Tuscum faciunt: Syrium tamen, sive Tyrium putat Cleanthes; ita ut ex plurimorum sententia Pythagoras esset genere Barbarus. Tanta autem autorum de Pythagoræ patria, & patre quoque, contentio est, ut jure merito Lycus & Pythagoræ, & Homeri patriam indicare difficile nimis duxerit. In tribus Mnesarchi filiis ipse natu minimus fuit, habens primum fratrem Eunostum, juxta Cleanthem, Eunomum, juxta Laërt. & Suid. secundum vero Tyrrhenum dictum; & praeter hos patruus ei fuit nomine Zoilus, ut Laërt. refert. Natus autem dicitur Olymp. 53.

Pythagoras, annum agens 18. Philosophiam discendi studio impulsus, se ad Thaletem jam senem contulit, à quo *Μαθηματικά*, Disciplinas accepit. Thalete deinde ætatem, & imbecillitatem caussante, & consilium dante, ut in Ægyptum ad Sacerdotes Memphiticos, & Diopolitanos pergeret, à quibus ipse etiam suam hauserat sapientiam; Ægyptum petiit, ac tres argenteos calices fabricatus, (ipsum enim *δακτυλογλυφόν* fuisse, hoc est, gemmarum sculptorem, notat Apul. l. 2. Florid.) eos Ægyptiis Sacerdotibus donavit, à quibus Theologicis, Philosophicisque dogmatis instructus est. Imo, ut Ægyptiorum disciplinas, quas deperibat, addisceret, non veritus est circumcisionem pati, ut testatur Clem. Alex. Strom. 1. & Porphyry. in ejus Vita. Notat Val. Max. 8. 7. Pythagoram Ægyptiæ gentis literis assuefactum, & præteriti ævi Sacerdotum commentarios scrutatum, innumerabilium seculorum observationes cognovisse. Et ipsum Sacerdotum auxilio omnium rerum accuratam hausisse cognitionem, & loca omnia invisiisse, in quibus se singulare aliiquid inventurum speraret, notat Jambl. in Vit. c. 4. Id autem peculiariter refert id. Clem. ib. Pythagoræ præceptorem præter alios extitisse Sonchidem Ægyptum Archiprophetam. Ab hoc igitur, reliquisque Ægyptiis præceptoribus præter eorum linguam, & triplex literarum genus, Epistolicum, Hieroglyphicum, & Symbolicum (de quibus supra l. 2. ubi de Philos. Ægypt. egimus) *Metempsychoseos* etiam, sive *Animarum Transmigrationis*, sive *Animæ Recidivatus*, ut Cic. eam vocat, errorem hausit. Cujus erroris, quod scilicet hominum animæ post mortem in alias plantas, vel animantes transirent, ipse præcipuus fautor, & veluti autor factus est. Unde factum creditur, ut is à fabis, & animalium carnibus abstineret, quod hominum animas continere putaret. Vid. Jambl. in Vit. l. 1. c. 5.

Ad Thebanos à Memphitis missus, multa pertulit, ut eorum præceptis sibi injunctis, duris quidem, & Græcorum religioni etiam oppositis, pareret; quare factum, ut ipsi tantam juvenis tolerantiam, & ingenium admirantes, eum ad sacrorum, & studiorum communionem admitterent, quod nulli unquam extero homini contigisse reperitur, ut notat Porph. in ejus Vita. Præter hos Pherecydem etiam in Lesbo tum commorantem, cui à patruo suo Zoilo, referente Laërt. commendatus fuerat, audivit; & Anaximandrum Physicum, apud quem naturalia fertur commentatus. Cleanthi etiam, & Suidæ, referente Porph. in vita, Pythagoræ præceptor dicitur Hermodamas, sive, ut Apulejus in Flor. ait, Leodamas Creophylius Samius tum valde senex.

Phænices etiam Prophetas, Mochi, naturæ interpretis, successores, & sacrorum Antistites adiit, à quibus & sacros ritus, & omnem ejus gentis disciplinam, & ea, quæ in multis Syriae partibus singulari modo celebrantur, edocitus est; idque antequam ad Ægyptios pergeret. Annis vero 22. in Ægypto absuntis, quo tempore Cambyses Ægyptios à se jam subjugatos Babylonem abduxit, Pythagoras etiam inter captivos in eam ductus est, ibique annis 12. moratus Zoroastre præceptore usus est, ut refert Apul. in Flor. qui *Omnis diuinus*

*nī arcānum antīstitem eum vocat.* Hic autem non Magnus ille Zoroaster, qui primus artium omnium apud Chaldaeos inventor extitit, quique Pythagoram ætate longe præcessit, credendus est, sed illius nominis sextus, idemque cum eo, quem Diogenes Zabratum, Alexander de Symb. Pythag. Nazaratum Assyrium, Suidas Zarem, Cyrus Zaranem, & Plutarchus Zaratam vocat. Babylone igitur cum Chaldaeorum præstantissimis, & Persarum Magis, eo quod Persarum imperio subdita tunc Babylon esset, versatus, à Magis quidem in sublimi de Deorum cultu doctrina, numerorum, & Musicæ arte, reliquisque disciplinis instructus, siderum motus, ut ait Val. Max. 8. 7. cursusque stellarum, & uniuscujusque vim, proprietatem, & effectum didicit. Spartam etiam adiit, & Cretam, ut Minois, & Lycurgi inclytas eo tempore leges cognosceret, & Epimenidem Cretensem, quem Apul. in Flor. 2. Fatiloquum appellat, audiret, cum quo in Idæum antrum descendit nigra lana amictus, diesque 27. ibi moratus Jovi parentavit, & pulvinar vidit, quod ei quotannis sternitur, ac sepulcro Epigramma inscriptum reliquit, cuius initium: *Zan jacet hoc tumulo, vulgo qui Jupiter audit.* Delum quoque venit, & Delphos ad Apollinem, cuius sepulcro elegiam inscripsit, ibique, teste Aristoxeno, complura moralium dogmatum à Themistoclea accepit.

Tandem notandum, Pythagoram, præter omnes modo dictos, etiam Judæos, Babylone tunc temporis commorantes, habuisse præceptores, quibus eum plura debere testantur Hermippus in 1. de Pyth. lib. quem citat Flavius Josephus contra Appionem, Origenes 1. 1. contra Celsum, & Clem. Alex. 1. 1. Strom. ubi ait: *Pythagoras etiam multa ex nostris transfulit in suorum dogmatum traditionem.* Neque mirum, quum plura ei cum populo Dei communia fuerint; præcipue quando in urbe Sidone cum Carmelitis, Eliæ, & Elisæi disciplinam professis, versatus est. Godefridus Wendelinus in epist. ad Erycium Puteanum dissertatione de Pythagoræ Tetraæty, edita an. 1637. docet, signari ab eo nomen Dei πυθαγόραμα; atque hoc à Judæis, & quidem propheta Daniele, Magorum principe haulisse, qui tum fuerit septuagenarius. Sane ex Clem. Alex. constat, fuisse circumcisum ut dictum supra: sive id factum sit, cum adolescentis ageret Babylone, sive cum in urbe Biblo, vel Sidone versaretur cum Carmelitis. Imo & nonnulli veterum putarunt, Ezechielem fuisse Pythagoram; quod falsum afferit Clem. Alex. 1. Strom. Sic itaque omnibus sive Græcorum, sive Barbarorum mysteriis initiatus fuit. Jure igitur Clem. 1. c. ait: *Semper Platonem magnificere Barbaros, ut qui meminisset, se & Pythagoram plurima, eaque præstantissima, & nobilissima dogmata didicisse apud Barbaros.* Alexander etiam apud Clem. Alex. 1. c. addit, eum Galatas, & Brachmanum Gymnosopistas adiisse.

Ex longa autem hac, & totius fere Orbis peregrinatione anno ætatis 56. in patriam suam Samum reversus est, ibique rerum publicarum regimen à concubis sibi oblatum non recusavit. In eadem Urbe scholam erexit, Pythagoræ Hemicyclium postea dictam, ubi Samii de publica re consilia collaturi conveniebant. Extra Urbem vero, Minoëm Jovis filium imitatus, antrum sibi, Philosophicis, & Mathematicis contemplationibus aptum, paravit, ubi maximam diei, noctisque partem transfigebat. Facta hinc celebri per universam Græciam ejus fama, undique ad ipsum discipuli ad Philosophiam capessendam confluabant. Sed cum & Reipublicæ regimini, & Philosophiae studiis vacare simul difficile considerans, Urbis administrationem declinare statuisset; Samiorum etiam in literarum studiis socordiam aspernatus, in Italiam profectus est Olymp. 62. ex Jambl. Romæ regnante Servio Tullio, ut testatur Liv. 1. 1. sive paucos post annos, ut ex multis scriptoribus dedit Stani.

Prima Italiæ urbs , ad quam magnus hic Philosophus , plurimarū regio-  
num peregrinatione clarus , appulit , Crotona fuit ; ubi statim ejus fama divul-  
gata est à pescatoribus , quibus ipse numerum piscium in sagena , in mari adhuc  
existente , positorum prædixerat ; unde ad eum omnium sere civium multitudo  
convenit , ut tantum virum agnoscerent . In hac itaque Civitate sede sibi electa ,  
quatuor ibi primum orationes habuit , ad Senatores scilicet , ad Juvenes , ad  
Pueros , & ad Mulieres ; quibus præter cætera præcepit , ut plus viros suos ,  
quam parentes diligenter , & nulla in re ipsis refragarentur , iisque si cesserint ,  
tum se viciſſe existimarent . Pretiosis insuper vestibus abstinentum eis suasit ,  
easque ut Junoni sacrarent præcepit , quod & omnes fecerunt , auratas uestes ,  
ornamentaque lasciviora huic Deæ consecrantes . Tanta igitur fuit apud Croto-  
niatas autoritate , ut , suæ etiam vitæ severæ simul , & integerrimæ exemplo ,  
eos luxuria , multisque vitiis diffluentes ad frugalem vitam , cultumque revoca-  
verit . Crotoniatas , Metapontinos , vicinosque populos Philosophiam docuit .  
Crotonam , Sybarin , Catanam , Rhegium , Himeram , Agrigentum , Tauro-  
menium , aliasque civitates in servitutem redactas , per discipulos suos , quos è  
singulis civitatibus habebat , in libertatem afferuit , discipulorum animum ad  
libertatem semper accendendo , factionesque funditus evelledo . Ipsi liberis  
jam factis leges dedit , quibus ad multas ætates bene viventes vicinis populis  
æmulationi diu fuere .

Schola in Crotonæ civitate instituta , magnus ad eum discipulorum concur-  
sus factus est , quos prima oratione in ea urbe habita ad sexcentos , & Nicoma-  
chus ad duo millia sibi conciliaſſe , fatetur ; quos ex facta vitæ , bonorumque  
communione Cœnobitas appellant ejus vitæ scriptores . Et quidem ut omnes  
eodem vitæ instituto viverent , & ne domo amplius abessent , in unum collatis  
omnium opibus , amplissimum sibi Κοινόθεον , Cœnobium ædificarunt , ad quod  
omnes , feminæ etiam , puerique admittebantur . Hoc autem idem iis fuisse ,  
ac nobis Ecclesia est , interpretatur Clem. Al. Strom. 1. Societatem hanc Laërt.  
Systema vocat , Cassiodorus Collégium , Agellus vero Confortium . Huic au-  
tem Cœnobio regendo , bonisque dispensandis , discipulorum quosdam destina-  
bat , ab officio Politicos , & Εconomicos appellatos . Civitates etiam conde-  
bant , omnemque eam Italiæ partem incolebant , quæ Magna Græcia dicta est ;  
& in ipsis ex divinis Pythagoræ legibus , & institutis viventes , summa omnium  
concordia habitantes , à vicinis populis laudati , pro divinis habebantur .

Non æque tamen omnes ad eadem studia , eamdemque vitæ rationem ad-  
mittebat , sed singulis pro indolis , & ingenii aptitudine diversa studia , diver-  
sumque vitæ institutum statuebat . Iis itaque , qui Αὐγεῖμοι , sive Αὐστρατῖοι di-  
cebantur , qui scilicet vel ingenio minus valerent , vel Reip. negotiis impediti ,  
se totos Pythagoræ studiis dare non possent , τὸ δὲ , sive id , quod est , nudis  
præceptis tradebatur ; aliis vero , qui Μαθηματῖοι vocabantur , τὸ διότι , id , pro-  
pter quod , sive cur aliquid sic , & non aliter se haberet , tradebatur , ut habe-  
tur apud cit. Clem. Alex. 5. Strom. Sic iis , qui ad Systema pertinebant , & Py-  
thagoreorum nomine vocabantur , bonorum omnium communionem indixit , &  
per omnem vitam sic vivere voluit ; cæteris vero præcepit , ut suas quisque opes  
seorsim possideret , sed studiorum tantum gratia in unum convenienter . Anony-  
mus Pythagoræ vitæ scriptor apud Photium tres Pythagoram sequentium spe-  
cies memorat : Πυθαγορικῶν , qui cum ipso Pythagora fuerant versati ; Πυθαγο-  
ρεῖον , qui istorum discipuli erant , & Πυθαγορισῶν , qui licet non in schola eorum  
fuissent , magni tamen Pythagoram facerent . Vid. etiam Suid. v. Πυθ .

Sed ut ea , quæ ad Pythagoræ discipulos , eorumque institutionis modum ,  
spectant , breviter attingamus , sciendum primo est , ejus discipulos in duo  
genera

genera divisos esse, in *Exotericos*, & *Esotericos*. Exoterici dicebantur, qui explorantis adhuc subessent tentaminibus, quæ si prout decebat sustinuissent, inter *Esotericos* recipiebantur. Eos insuper in suos non admittebat, nisi prius vultum, mores, indolem, & similia scrutaretur. Nec satis Pythagoræ videbatur τὸ φυσιογνωμονῶν ad discipulos deligendos, sed eos ante ad purgandam mentem toto quadriennio variis afflictionibus, ferro quoque, & igne peragendis, probabat. Quos autem post hoc examen probaverat, eos triennio contemtui haberi jubebat, ut eorum ad gloriæ, honorisque contemptum constantiam exploraret. Sine mercede semper docuit, discipulisque docere præcepit.

Quod tamen Pythagoras omnium primo discipulos suos docebat, Silentium erat, quod ut difficillum, ita & maxime necessarium est. Idem etiam sentire videtur Cato in distichis, cum ait:

*Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.*

Hoc autem Silentium duplicis erat generis; alterum certo tempore definitum, alterum perpetuum. Primum Εχεμωδία dicebatur, & minimum ad biennium, summum ad quinquennium erat. Nam Jubebat certum tempus tacere; non omnes idem, sed aliud aliis tempus, pro æstimato captu solertiæ, sed non minus quisquam tacuit, quam biennium, ut notat Gell. l. i. c. 9. Εχέμωδη autem dicebatur quasi ἐχων ἐν ἑαρτῷ τὸν μῦθον σιωπῆν, ut ait Hesych. & Suid. in ἐχεμωδᾷ, hoc est, continens in seipso sermonem silentio. Hoc silentium imitatus etiam videtur Basilius Hæreticus, qui Πεντετῆ σιωπᾶν, *Quinquennale Silentium* à discipulis exigebat, ut habet Euseb. Hist. Eccles. l. 4. c. 7. Secundum silentium, quod Perpetuum erat, Παντελῖς, hoc est, *Omnimodum* dicebatur, quo Pythagoricis diebus, quæ ex Pythagora didicerant, inter se quidem loqui fas erat, cum extraneis vero, & profanis, hoc est, cum non Pythagoricis nefas. Quod respexisse videtur Cic. l. i. de Nat. D. dicens: *Nec tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos.* Cujus silentii finem hunc voluit Clem. Alex. 6. Strom. ut scilicet melius ad meditationes incumberent discipuli. Sic enim ibi: *Hoc sibi vult etiam Pythagoræ quinque annorum silentium, quod præcipit discipulis, ut scilicet aversi à rebus sensibiliibus, nuda mente Deum contemplarentur.*

Somni item, cibique abstinentiam ipsis præcipiebat, ut mens facilius difficilioribus Philosophiæ studiis vacare posset. Si qui igitur vitæ probitate, abstinentia, laborum tolerantia, & quinquennali silentio probati essent, in Esotericos, ut diximus, admittebantur, & Pythagoram intueri, ipsumque intra velum audire permittebatur; Exoterici enim nec magistri faciem videre, nec ipsum intra velum audire poterant, sed extra velum subsidentes, docentem ipsum audiabant. Si vero discipulorum aliquis rejiciebatur, is opum, quas contulerat, recipiebat duplum; sed ei tanquam vita functo monumentum à condiscipulis extrebat.

Statas diei horas studiis, vel corporis exercitationi addictas habebant. Examen, quum lecto consurgerent, instituebant tum eorum, quæ præterita luce didicerant, ut perfecte memoriæ mandarent; tum eorum, quæ in die ordinatim agere deberent. Secundum sibi Examen præceptum erat, Vespertinum scilicet, antequam dormitum irent, quo peracta in die, & peragenda considerabant, & attentius perpendebant. In hoc examine Vespertino hos versus recitandos jussit:

*Nec fessa in dulcem declines lumina somnum,*

*Quin ter cuncta prius repetiveris acta diei;*

*Quæ prætergressus? quid gessi in tempore? quid non?*

Matutini vero Examinis canones his versibus recitandis continebantur:

*E somno verò evigilans, quum strata relinquis,*

R

Dispo-

*Disponas animo luce expedienda futura.  
His de Pythagoræ Vita , & docendi ratione notatis ; videndum nunc quæ  
fuerit*

## DOCTRINA PYTHAGORÆ.

**O**MNIS Pythagoræ doctrina in Mathesim , & Philosophiam dividebatur . *Magnitudo* Græcis , Latinis *Disciplina* ea dicitur , quæ non extrinsecus ab objectis extra positis , per sensuum organa in animam agentibus , menti advenit , sed ab iis , quæ nobis apparent , excitatur , atque intus perficitur à cogitatione in seipsam conversa . Hujus duæ sunt partes , altera scilicet , quæ *Multitudinem* , altera , quæ *Magnitudinem* considerat . Quæ *Multitudinem* contemplatur , subdividitur in eam , quæ *Multitudinem* spectat in seipsa considerata m , & dicitur *Aritmetica* , sive *Scientia Numerorum* ; & in eam , quæ spectat *Multitudinem* considerata m in alio , & dicitur *Musica* . Sic pariter Mathesis , quæ *Magnitudinem* contemplatur , vel ipsam considerat , ut quiescit , & *Geometria* dicitur ; vel ut movetur , & dicitur *Sphærica* scientia . Quatuor igitur ex Pythagora Matheſeos partes sunt , *Aritmetica* , *Musica* , *Geometria* , & *Sphærica* ; quas ipse primus *Magnitudinem* nomine appellavit , ut refert Proclus in Euclid. I. I. p. 13. Has autem omnes Mathematicas disciplinas Philosophiæ studiis præmittendas duxit ; iisque veluti præexercitationibus necessariis ad Philosophiam utebatur . Atque hinc factum , quod Justinus Martyr à Pythagorico quodam , alti in sapientia supereilii viro , in discipulum admitti non potuit , quod Mathematicarum disciplinarum ignarus esset , ut ipse de se testatur in Dial. cum Tryph. p. 219.

Arithmeticis potissimum Pythagoram sese addixisse affirmat Timæus . Stobæus , eam omnibus aliis scientiis præculisse , dicit , atque à mercatorum usu abductam in luce , & claritate collocasse . Isidorus in Chron. aliquique ipsum *Arithmeticæ* inventorem dicunt , Numerique disciplinam apud Græcos primum Pythagoram conscripsisse , deinde à Nicomacho diffusius compositam . Et magno quidem studio circa numeros versabatur , quod summum hominis bonum in exactissima numerorum scientia positum existimaret .

Numerorum genera duo statuit , *Intellectualem* scilicet , sive *Immateriale* numerum , & *Scientificum* . *Intellectualis* numerus est substantia æternæ numeri , quam Pythagoras in sermone de Diis principium esse dixit providentissimum Universi , cœli , atque Terræ , & intermediæ naturæ . Præterea radix est divinorum , & Deorum , & Dæmonum . Hoc est , quod principium vocat , fontem , & radicem omnium , atque definit , quod sit id , quod ante omnia existit in mente divina , à quo , & ex quo omnia digeruntur ordine , atque indissolubili serie numerata manent . Vid. Meurs. Denar. cap. I. Nicomach. Arith. c. I.

Scientificus numerus est Progressio numeri à monade incipiens , regressio in eandem desinens . Scientificus numerus dividitur in Infinitum , seu *Æqualem* , & in Finitum , sive *Inæqualem* . *Inæqualis* , seu *Imparis* numeri secretum à Pythagora inventum dicitur Macrobius Saturn. I. 13. & in Somn. Scip. I. 6. masculæ esse virtutis traditur . Serv. ad Ecl. Virg. 5. v. 65. Diis cœlestibus proprium dixit , nam

- - - - *Numero Deus impare gaudet.*

Vocatur etiam hic numerus plenus , & perfectus ; unde & Diis non nisi hoc numero sacra siebant . Contra vero *Æqualis* indigens dicitur , & imperfectus , & semineus , & inferis proprius , quibus semper æqualia offerebantur .

Præter

Præter has numerorum distinctiones, Symbolicos etiam numeros agnovit Pythagoras, quorum singulis diversas res tribuebat. Sic Monadi, ex. gr. sive Unitati tribuebat Deum, Mentem, Bonum, &c. Dyadi, seu Binario Genium, Tenebras, Dianam, Malum, &c. assignabat; & sic de reliquis. Vid. Meurs. Denar. Theologum. Arithm. Nicomach. apud Phot. Alexander Aphrodis; Theon Smyrn. Mathem. Plat. atque alii.

Divinationem etiam per Numeros Pythagoram instituisse fatentur Jamblicus, & Porphyrius ejus vitæ scriptores; qui addunt, in hac eruditum ab ipso etiam fuisse Abaridem Hyperboreum Sacerdotem, qui per victimarum extispicia divinationem prius instituebat. Atque hinc factum, ut quidam sub Pythagoræ nomine obtrudere hominibus ausi sint Onomasticem quandam Arithmeticam, qua certis quibusdam numeris, literis Alphabeti, Planetis, diebus, hebdomadibus, & Zodiaci signis assignatis, varias quæstiones, natales, viatorias, vitam, mortem, prosperam, & adversam &c. divinabant. Rotam etiam quandam ad divinandum à Pythagora inventam memorant Robertus à Fluctibus, & Apollonius. Sed hoc recentiorum inventum esse optime notat Tritheimius, atque alii.

Secundam Numerorum scientiam, quam scilicet in alio Numeri spectatur, Musicam Pythagoram vocasse, diximus, quam ipse etiam maxime coluit. Et primam quidem Musicam in Planetis posuit, unicuique ipsorum proprium tonum assignans; itaut omnes cum fixarum Sphæra perfectam efficiant harmoniam. Diatonicam, Chromaticam, & Harmonicam, omnesque Musicas Institutiones ipsum invenisse, sicut & Monochordum, cit. ejus vitæ scriptores, Nicomach. in Harmonic. Manual. atque alii testantur. Notandum hic, Pythagoram Medicinam per Musicam etiam excogitasse; qua sæpe, verno potissimum tempore, pro purgatione utebatur, ratus, Musicam plurimum ad sanitatem conferre, si legitimo modo adhibetur. Ad hunc finem varii rhythmī versus componebat, alios quidem ad iram sedandam, alios ad cupiditates compescendas, omnes denique variis animi affectibus, vel morbis accommodatos, quibus ipsum irrationales animæ motus sanasse, in juvenibus potissimum, testantur Ammon. & Cic. Pythagoram, ejusque discipulos ad mentes componendas mane, dum somno surgerent, & vesperi, dum lectum irent, Musica usos fuisse referunt Quintil. Plut. & Censorin. Hanc igitur Pythagoras utilissimam humanæ vitæ, morumque correctionem per Musicam instituit. Semper tamen ad Lyram canebat, ut constat ex Aristide l.2. de Mus. discipulisque præcepit, ne unquam instrumentis, quæ flatu inflantur, uterentur.

Geometriam, quam illam Matheeos partem diximus, quæ Magnitudinem, quatenus quiescit, spectat, ab Ægyptiis, & Chaldæis acceptam Pythagoras primus in Scientiæ formam redegit, ut testatur Proclus, & Timæus, qui ipsum hanc scientiam primum perfecisse affirmat. Et Aristoxenus addit, primum ipsum mensuras, & pondera Græcis tradidisse. Pythagoras Punctum Unitati, Lineam Binario, Superficiem Ternario, Corpus Quaternario, proportione respondere dixit. Plures ejus extant de Triangularibus, & Quadrangularibus figuris Propositiones, quas apud Pythagoricos videre est. Illud tantum adnotabo, quod habent Laërt. Vitruv. & alii, Pythagoram scilicet Diis, sive Musis, ut aliis placet, hecatomben sacrificasse, eoquod invenisset celebre illud Theorema, quo probavit, trianguli  $\sigma\varphi\delta\gamma\omega\nu\tau\alpha$ , Rectanguli latus recto angulo subtectum tantum valere, quantum valent latera, quæ illum continent; ac proinde quadratum, quod lateri rectum angulum subtendenti imponitur, æquale esse duobus quadratis, quæ lateribus rectum angulum continentibus imponuntur. Quod sequentibus versibus probatur:

*Pythagoras quondam Dīs fecit nobile sacrum,  
Inventa est illi linea quod celebris.*

Ultimam tandem Matheſeos partem , quæ Magnitudinem , ut moyetur , considerat , Astronomiam ſcilicet Pythagoras maxime etiam excoluit . Sphærarum ſyſtema ſic ſtatuit . Prima , & inerrabilis Sphæra , quæ & Firmamentum dicitur , fixarum eſt , extimam mundi ſuperficiem occupans . Secunda Saturni , tertia Jovis , quarta Martis , quinta Veneris , ſexta Mercurii , septima Solis , octava Lunæ , nona Ignis , decima Aëris , undecima Aquæ , duodecima tandem Terræ noſtræ . Sic ex Anonymo Pythagoræ Vitæ ſcriptore apud Photium . Alii tamen decem tantum Sphæras iſum ſtatuiſſe ſcribunt , quarum ultimam ponunt Antichthona , hoc eſt , terræ partem noſtræ oppofitam . Illud tamen hic adnotare placuit , Pythagoram primum in mundi medio Solem immotum ſtatuiſſe ; in extima vero ejus ſuperficie immobilem item Fixarum Sphærām : inter Solis , & fixarum Sphæras medios Planetas , & Terram , quippe , quæ planeta ſit , diſcurrere . Terræ etiam Pythagorici dupliſem tribuere motum , unum diurnum circa proprium axem , alterum annum circa Solem . Quam ſententiam primus Philolaus , ex Laërt . 8. 85. literis conſignavit , & publicam fecit ; & ex eodem Pythagoræ fonte Aristarchus Samius hanc doctrinam derivavit , cuius autor à nonnullis creditus eſt . Tandem Nicolaus Copernicus ultimus omnium ipsam renovavit , ac clarius explicavit per Eccentricos , & Epicyclos , ſicut & Pythagoras fecerat , phænomena planetarum .

Sphærarum item Harmoniam explicabat per stellarum motum ἐνρυθμον , & iſtarum intervalla musicis diaſtematis congrua , ex quibus pro vario iſtarum tono ſonitum varium , & harmonicum reddant , pro ſua quæque altitudine ; quæ melodia nobis quidem non auditur propter vocis magnitudinem , quam capere aurium noſtrarum anguſtiæ non poſſunt . Hinc Athen . 14. Dipnoph . ex Pythagora ait , Mundum conſtare vi musica ; quare ex Diis Apollinem , ex Semideis Orpheum omnium maxime musicos credidit , & doctos . Et Cic . 3. de Nat . D. ait : *Aut ad harmoniam canere Mundum , ut Pythagoras exiſtimavit.*

Sed eam breviter examinemus Pythagoricae Doctrinæ partem , Philoſophiam ſcilicet , ad quam nonniſi hiſ Matheſeos ſcientiis priu ornati Pythagorici non procedebant , ut melius poſſent & mundi opera , & principia naturæ perſpicere . Philoſophiæ nominis inventum , & definitiones ex Pythagora tra-ditas hīc p̄tereo ; de iſis enim in principio hujus Operis auctum eſt .

Philoſophiam Pythagoras in *Practicam* , & *Theoreticam* diuſit ; quarum prima mores , & res civiles reſpicit ; ſecunda naturæ arcana contemplatur . Præticæ Philoſophiæ inventum Pythagoræ tribuitur ab Aristotele Magn . Moral . 1 . 1 . c . 2 . Quod vero Socrati vulgo tribuatur , cauſam addit idem Aristoteles , quod ſcilicet Socrates , poſt Pythagoram vivens , melius , pleniusque id argumentum tractaverit . Præctica Philoſophia adhuc diuiditur in *Pædeuticam* , quæ agit de virtutib⁹ privatis , ad nos ſpectantibus ; & in *Politican* , quæ virtutes publico uſui inſervientes , & ad alios ſpectantes , docet . Sic etiam apud Laertium legimus , eum tres tractatus ſcripſiſſe , *Pædeuticum* , *Politicum* , & *Physicum* . Pædeuticas virtutes ad hæc capita , ut ex Jamblico , redegit ; *Inſtitutio* , *Silentium* , *Abſtinentia à carnibus* , *Fortitudo* , *Temperantia* , *Sagacitas* : in quibus p̄aeclarā quidem moralia dogmata tradit , docetque quomodo cuique bene vivendum ſit . Vide Stob . aliosque .

Politiken , ex eodem Jambl . ad hæc capita redegit : *Communis Conversatio* , *Amicitia* , *Cultus Deorum* , *Pietas in mortuos* , & *Legumlatio* . Quibus omnibus docet , quales nos in Deos , parentes , amicos , reliquosque vivos æque ac mortuos eſſe debeamus . Inter cætera hac in re p̄aeclarā dogmata illud ve-

re dignum, quod memoretur; non patiebatur scilicet quemquam pro se orare, quod ignoret quid sibi expediat. Hanc Philosophiae partem sic optime tractavit, ut ejus inventor multis audiat.

In prima Theoreticæ Philosophiae parte, quæ *Metaphysica* est, de rebus *Intelligibiliis agit*. Summum Deum solum sapientem dicebat, primum Ens, nec sensui, nec passioni obnoxium, invisibilem, intelligibilem, omnium officem, principium omnium, unum, parentem omnium, cœli lumen, mentem, & animationem universorum, & circulorum omnium motionem. Deum Pythagoras definit, ut refert Laëtant. Instit. I. 5. quod sit *Animus per universas mundi partes, omnemque naturam commens, atque diffusus, ex quo omnia, quæ nascuntur, animalia vitam capiunt*. Et omnes quidem Pythagorici cum Pythagora optime de Deo sentiunt; utpote qui, referente Clem. Alex. in Protrept. dicant, Deum quidem unum esse, non ita tamen, ut quidam opinantur, quasi sit extra Mundi administrationem, sed est totus in ipsa, in toto circulo, speculator totius generationis, universorum contemporatio, qui semper est, & suas facultates deducit ad operationes, omnium operum in Cœlo illustrator, pater omnium, mens, & animatio totius circuli, omnium motus &c. Metaphysics hæc sunt capita: *De Summo Deo; de Diis, Dæmonibus, & Heroibus; de Fato, & Fortuna; & de Divinatione*. Mundi partes supra lunam positas sola Dei Providentia gubernari docuit; quæ vero infra lunam, quatuor regi causis, *Deo, Fato, nostro Consilio, Fortuna*. Omne Divinationis genus probavit, & exercuit, eo excepto, quod animantium crux peragit. Animam dixit esse ætheris avulsionem; Semen vero cerebri stillam, quæ calidum vaporem, in se contineat.

*Physices*, sive naturalium rerum scientiæ capita ex Pyth. hæc tradit Jamblichus in Vit. c. 6. *de Mundo, de rebus Mundanis, de Cœlo, de Terra, & de rebus in medio positis*. Pythagorici in Mundi meditullio Ignem statuebant: quod & Numa Pompilius sensit, teste Plutarcho in Vita. Naturalium rerum Principia, ut refert Alexander in Successionibus ex commentariis Pythagoricis, hæc statuit. Principium, causa, & auctor omnium Unitas est: ex Unitate infinita extitit Dualitas, quæ veluti Materia auctori Unitati subjecta est: Ex Unitate, & indeterminata Dualitate numeri existunt: Ex numeris punctis: Ex punctis lineæ: Ex lineis planæ figuræ, sive superficies: Ex superficiebus solidæ figuræ: Ex his denique solida corpora, quorum quatuor Elementa sunt, Aër, Terra, Aqua, & Ignis, quæ per omnia se mutant, & variant; ex quibus variatis, & transmutatis Mundus fit Animatus, Intelligibilis, Rotundus, & medium Terram continens, quæ & ipsa rotunda, & circumhabitata est; itant & Antipodes dentur, nobis obversa vestigia prementes; & ipsi Mundo æquis partibus Lux, & Tenebræ, Calidum, & Frigus, Siccum, & Humidum insint. Mundum hunc, sive rerum omnium creatarum complexum, primus Pythagoras Κόσμον ab ordine, & pulcritudine dixit, à Deo non tempore, sed cogitatione ortum, ex sui natura, quia corporeus est, interitum: sed Dei providentia servatum, ac proinde nunquam interitum: cuius Dextra Oriens, quia ab ipso motus incipit, Sinistra Occidens dicitur. Extra Mundum Inane infinitum ponunt Pythagorici, ex quo, & in quo Mundus respiret. De Anima Mundi, & Natura legendus est Timæus Locrus, in quo tractatu omnis Pythagoricæ Physices doctrina continetur. Pythagoricus enim ipse fuit; atque idem esse dicitur à Suida, qui Pythagoræ vitam scripsit. Hujus Timæi Locrensis nomine Plato divinum illud opus inscripsit, in quo de rerum Creatione differuit, quod Cicero postea Latinum fecit, & de Universitate inscripsit. Pythagoræ illud præcipuum, ac plane singulare dogma fuit, ut in principio hujus

jus capit's quoque innuimus, quod Animæ ex sua quidem natura immortales, ante corpora genitæ, & numero innumerabiles, si peccatum aliquod commiserint, detruderentur in corpora, ut sic purgatæ ad loca sua reverterentur: eæ vero, quæ humano corpore inclusæ improbam vitam degerent, in brutorum animalium corpora immitterentur ad pœnas pro vitiorum ratione luendas. Sic iracundæ, & malitiosæ animæ in serpentes, rapaces in lupos, & sic de singulis, migrarent; ut ex Theodorito, Platone, Plotino, aliisque habemus. Hinc animata omnia nobis cognata existimabat; eademque ratione ab animalium carne, & falsis abstineri jubebat. Unde & *Faba cognata Pythagoræ* dicitur Horatio 2. Sat. 6. Hunc autem animarum Transmigrationis circuitum post trium millium annorum ambitum perfici putarunt Ægyptii, à quibus ipse hanc doctrinam acceperat. Quam doctrinam variis ipse narrationibus confirmabat, referens, se meminisse, sese olim fuisse Euphorbum, postea Pyrandrum, deinde Callicleam, inde Alcen feminam pulcra facie meretricem, ut est apud Agell. 4. 11. Hanc ipsam Transmigrationis sententiam pulcre nimis expressit Ovid. Metam. 15. v. 153. & seq.

Medicinam quoque Pythagoram exercuisse ex Laërt. Apul. Ælian. aliisque habemus, præcipue Diæteticam, amicosque ægrotos sæpius visitasse, & curasse Medicina non minus Diætetica, quam Therapeutica, carminibus, & incantationibus, ut supra quoque diximus. Horum carminum meminit quoque Plin. 1.28. c.4.

Omnis Pythagoræ doctrina vel Διεξοδικὴ erat, quæ aperta magis, & facilis, vel Συμβολικὴ, quæ obscura, & mystica. De prima hucusque actum est; superest, ut de secunda pauca hic adnotemus. Symbolico dicendi genere comprehendebantur brevia illa, atque ænigmatica dicta moralia, ut: *Ne cor edas*, hoc est: *Ne te curis conficias*: *Stateram ne transili*, hoc est: *Ne justitiam violes*, vel *Ne avaritia pecces*. *Ignem gladio ne fodias*, hoc est: *Iratum ne maledictis lacesfas*. *Hirundinem sub tecto ne recipias*, hoc est, *Garrulum ne admittas*, & similia, quæ collegerunt Laërt. Jamblich. & Porphyry. ejus vitæ scriptores, & Desid. Erasm. inter recentiores initio Chiliadum, & omnium accuratissime Lilius Gyraldus libello de iis peculiari. Omnia tamen moralia hæc præcepta in uno illo Aureo quidem Carmine, quod Pythagoræ, vel Pythagoricis tribuitur, continentur, quod incipit:

*Primum immortales Divos pro lege colunto &c.*

Quod hīc, quia vulgatissimum, transcribere supersedeo. Cujus quidem carminis, quod Pythagoræ vulgo adscribitur, Lysidem Pythagoricum Tarentinum Laërtius autorem facit; qui & Epaminondæ præceptor fuit. Clariss. vero Fabric. Bibl. 2. p. 461. Empedoclem autorem putat, alii alios. Probabilius tamen est, hos versus varia occasione à variis sigillatim concinnatos fuisse, deinde ab aliquo in unum corpus utcumque collectos, ut notat doctiss. Joh. Cler. qui hoc opus φαῦωδιαν esse variorum Pythagoreorum verosimile putat.

Celebris inter autores quæstio est, an Pythagoras aliquid scripsit, nec ne. Plutarchus, Josephus, Lucianus, Porphyrius, atque alii, putant, eum nihil prorsus scriptum reliquisse; quos sequitur Divus August. qui l. 1. de Consensu Evangelistarum c. 7. ait: *Pythagoras, quo in illa contemplativa virtute nibil tunc habebat Græcia clarius, non tantum de se, sed nec de ulla re aliiquid scripsisse perhibetur*. Et Joh. Ludov. Vives de Caussis Corrupt. Art. l. I. caussam ex aliis tradit, cur Pythagoras (quod & de Druidis quoque traditur) non scriberet, quod diceret; *Nolle se scribendis sensibus animi sui discipulos desidiæ assuefacere*. Verum Laërt. ex Heracliti Physici testimonio, qui de Pythagoræ scriptis quædam adducit, eos falli dicit, qui asserunt, eum nihil scri-

scripsisse. Hinc affirmat, ipsum tria volumina reliquisse, *Παυδαρικόν*, sive de *Institutione*, *Πολιτικόν*, sive de *re Civica*, & *Φυσικόν*, sive de *Natura*. Præter quæ & alia quoque eum scripsisse Heraclides Serapionis filius in *Sotionis Epitome* refert. Quæ autem ejus discipuli scripserint, videre est apud *Vossium de Sect. Philosophorum c.6. §.12.* Extat præcipue *Didymi liber de Pythag. Philosophia*, & *Alexandri alter de Symbolis Pythagoricis*. *Laërtius* etiam post opus de *Vitis Philos. Pythagorica dogmata collegit ex Hippodamo Thurio, Eryphemo, Hipparcho, Archyta, Theage, Metopo, Clinio, Critone, & Polo, Pythagoricis*, quem vide.

Porphyrius, & ex eo Jamblichus in *Vita* plura referunt miracula Pythagoræ addicta. Alii, inter quos *Timon*, *Magiæ ea tribuunt*, Pythagoramque γόνη, *magum* appellant. *Hermippus*, & *Sophoclis Scholia*stes & alii, hæc prodigia meras imposturas affirmant; narrantque, Pythagoram in subterranea specu diu delitusse, matrique interea præcepisse, ut quicquid fieret in tabulis scriberet, tempusque adnotaret, ac se jam mortuum diceret. Elapso tempore ex specu squalidus, & macie confectus adscendens, advocata concione, dixit, se ex inferis redire; &, ut sibi fidem faceret, omnia, quæ interea evenerant, recitasse, ac quæ apud inferos viderat, narrasse. Hinc apud *Crotoniatas* in magna fuit autoritate; qui ipsum divini aliquid habere dicebant, ejusque dictis auditis ita affiebantur, ut in lacrymas etiam, & ejulatus prorumperent.

Notandum vero hîc est, non satis constare, Pythagoram ab animalium omnium, & fabarum esu abstinuisse. Nam Aristoxenus Musicus, Aristotelis discipulus, quem citat *Gell. 1.4. c.11.* Pythagoram porculis minusculis, & hædis tenacioribus victitasse, refert: quod ex Xenophilo Pythagorico, familiari suo, aliisque natu majoribus, & ex Alexis Comœdia, quæ Pythagoræ Vita inscribitur, collegisse, ait. Imo nullo sæpius legumento Pythagoram, dicit, usum, quam fabis, quoniam is cibus & subduceret sensim alvum, & levigaret, ut ex cit. Aristoxeno refert *Gell. ibidem*. Hinc, qui rem diligentius scrutati sunt, putant, Pythagoram, ejusque successorem Empedoclem per fabas significasse testiculos; ita ut à fabis abstinentia symbolice, & ænigmaticè intelligenda sit; ac propterea non fabarum abstinentiam, sed veneris profluvium ab hominibus abducere voluisse, credendum est. Alias enim ridiculus plane esset Pythagoras, dum ait, ut præter *Lucianum*, & *Chrysostomum* testatur *Clem. Alex. Strom. 3.*

Γεόν τι κυάμως θάγεν, κεφαλάζε τοκίων.

*Par est quippe fabam, atque caput corrodere patris.*

Et ejus auditor *Empedocles*, qui, ut est apud *Gell.* ait:

Δελοί, πάνθελοι κυάμων ἀπὸ χῆρας ἔχεδε.

*Ter miseri, nolite fabas attingere dextris.*

*Symbolicus* igitur, & ænigmaticus in his sensus est. *Hac ratione*, inquit *Alexandrinus* loco cit. *mystice uti fabis prohibent*.

Pythagoræ Uxor *Theano Crotoniata* fuit, ex plurimorum sententia, sive *Cretensis*, ut notat *Porphyrius*, quæ post Pythagoræ obitum *Scholæ* præfuit; deinde *Aristæo* nupsit, qui ei in *Scholæ* regimine successit. *Laërtius* ipsam quædam scripsisse refert, ex quibus *Suidas* allegat *Commentarios Philosophicos*, *Apophthegmata*, & *Poëma Hexametrum*. *Stobæo* etiam *Ecl. Phys. l.1. p.27.* allegatur *Scriptum ejus περὶ Εὐσεβίας, de Pietate*; *Clem. Alex. Str. p.309. Poëmata* scripsisse testatur. *De Epistolis* ejus vide *Fabricium Bibl. Græc. l.2. c.10. n.24.* Fragmentum denique ejusdem citat *Clem. Alex. Str. 4. p.492.* Filios habuit *Telaugem*, *Mnesarchum* (qui idem esse dicitur cum eo, quem *Mamercum* vocat *Plutarchus*, & *Festus*; utrumque enim nomen parenti Pythagoræ tribuitur) &

*Ari-*

Arimnestum, autoritate Duridis Samii, ut notat Porphyr. in Vit. p. 181. qui Democriti præceptor fuit: filias vero Sacram, Myjam, & Arignotem, cuius scripta Pythagorica suo etiam tempore extitisse dicit Porphyr. & Damonem, (quam filiam facit Jambl. filium vero Suid.) cui scripta sua Pythagoras credidit, præcipiens ei, ne cuiquam extra familiam traderet, quod & fecit, nam nec etiam magno ære ea vendere unquam voluit: Servos duos habuit, Aristæum, & Zamolxidem, quem in carissimis habuit.

Mortuus tandem est magnus hic Philosophus a. 4. Olymp. 70. juxta Eusebium, postquam Crotone vixit annos 20. juxta Justinum. Mortis autem occasio varie ab autoribus traditur. Ex Laërtio habemus, mortuum esse, ne agrum fabis plenum calcaret, quem transire necesse sibi erat, ut ab incendio domus Milonis (alii legunt Cylonis) fugeret. Quidam enim Crotoniata, quem ipse in discipulos admittere noluit, domum illam, in qua ipse cum suis erat, incendit: unde ipse incendium fugiens, solus relictus, cum in agrum fabis refertum incidet, constitit, inquiens, *Capi præstare, quam calcare*: quare à persequentibus interemptus est: eodemque modo discipuli ejus circiter 40. perierte, paucis fugi sibi consulentibus, inter quos Archytas Tarentinus, & Lysis. Vid. Jambl. Porphyri. aliique. Romani Pythagoræ, & Alcibiadi statuas Romæ posuerunt, ut notat Plin. I. 34. c. 6. dum ait: *Invenit & Pythagoræ, & Alcibiadi (statuas) in cornibus Comitii positas, &c.*

In Scholæ successione, ut ex Jambl. c. ult. primus omnium fuit Aristæus, ut diximus, Crotoniata, qui Pythagoræ contemporaneus, septem ante Platonem generationibus vixit, Theanonem uxorem duxit, ac Pythagoræ filios educavit. Huic successit Mnesarchus Pythagoræ filius: Mnesarcho Bulagoras; cuius ætate Crotona direpta est: Bulagoræ Tydas Crotoniata. Variis tandem in locis ejus discipuli docuerunt. Videatur Jambl. loc. cit. Locupletiorem vero Pythagoricorum, & Pythagoricarum Catalogum lege apud Fabrit. Bibl. Gr. I. 2.

### E M P E D O C L E S

**I**nter Pythagoricos non postremus, Agrigenti, Sicularum Civitatum post Syracusas nobilissima, natus est ex patre, ut notat Laërt. Metone, sive Archinomo, ut ait Telauges Pythagoræ filius in Ep. ad Philolaum. Præceptores habuit, præter Pythagoram, Parmenidem, & Anaxagoram, ut testatur Alcidamas in Physico. Magna inter Agrigentinos autoritate vixit, & fastu. Vir gravis semper extitit: prolixa ei barba, ac servi pedissequi. Imperandi fastum adeo sprevit, teste Aristotele, ut oblatum sibi regnum constanter renuerit.

Vaticiniis, Medicina, & portentis clarus, horum plurima præstitit, ut testantur Timæus, Laërtius, Suidas, & Jamblichus in Vita, Plutarchus lib. de Curios. & Clem. Alex. 5. Strom. Sunt, qui per Goëticam Magiam id fecisse dicunt; & Satyrus in ejus vita refert, Gorgiam Leontinum, Empedoclis discipulum, fassum esse, eum, se præsente, Goëtiam exercuisse, ac publice hanc artem professum, ut ex his suis vers.

*Pharmaca, queis pellas morbos, tollasque senectam,  
Percipies, quæ cuncta tibi communico soli,  
Compescesque truces ventorum rite procellas, &c.*

Unum referam, quod habet Timæus, aliique; ipsum scilicet fecisse, ut graves venti, qui morbos incolis, sterilitatem uxoribus, corruptionem frugibus, ex Agrigenti monte spirantes importabant, omnino cessarent; unde ab eventu Καλυστεμένος, sive Αλεξάρεμος, ventorum scilicet propulsator dictus sit. Sic & in ejus versibus legitur:

Πλαύ.

**Παύσος δ' ἀκαμάτων αὐγέμων μέντοι, οἵτινες εἰπεῖ γάρ  
Ορφεύμενοι θυντοῖσι καταφθινόθυσιν αἱρέσας.**

**Sed ab his autem indefessorum ventorum furorem, qui in terram  
Irruentes, hominibus deperdunt campos.**

Dicebat etiam, alios quidem ipsum sequi, qui opus habebant divinationibus; alios vero, qui gravibus morbis diu vexati fuerant. Mirabilis quoque ejus curatio fertur, qua feminam, quæ septem diebus, ut Plin. H. N. 7. 52. ἀπνεις exanimis, sive, ut Gal. 6. de loc. aff. accuratius ex Heraclide vertit, spiritu destituta, nullo venarum pulsu conspicuo, à cadavere hoc solum differebat, quod parum calorisc circa medias corporis partes sentiretur, ita ut inter Medicos, qui aderant, vivane, an mortua esset, fuerit controversum, sanitati restituit.

Empedoclem Oratoriæ inventorem affirmat Aristoteles in Sophista: in lib. vero de Poëtis ipsum Homerū imitatorem, & in dicendo acutum dicit; scripsit enim *De Natura*, Et *Lustrationes* versibus ad quinque M. & Medicam disputationem ad 600. versus. Tragœdias etiam Empedoclis quadraginta se vidisse Hieronymus ait, & Neanthes: ipsas vero non hujus, sed junioris Empedoclis, hujusque pronepotis, quem Suidas *Tragicum* facit, fuisse cl. Fabr. Bibl. Gr. 1.2. c. 20. aliique evincunt. Sphæram item, astronomicum inventum, sunt qui ipsi tribuunt: sed eo antiquius est.

In Physicis afferit, quatuor esse Elementa, *Terram*, *Aquam*, *Aërem*, & *Ignem*: quibus duo addit Principia, *Amicitiam* scilicet, qua copulantur, & *Discordiam*, qua dissident; sive

*Affiduas versare vices, desistere nusquam.*

Sic enim de his Principiis in suis versibus legitur:

*Nonnunquam connectit Amor; simul omnia rursus*

*Nonnunquam sejuncta jubet Contentio ferri.*

Elementorum vero veluti Elementa, ipsisque priora, statuit exigua quædam quasi fragmenta partium similarium, & figuræ rotundæ. Mundum dixit unum esse, non tamen universum absolvere, sed ejus partem esse, reliquum vero absolvē à materia inertī. Mundum item in ignem reversurum putavit. Sic enim de ipso Clem. Alex. Strom. 5. *Admitte etiam Empedoclem, qui admodum naturaliter universorum meminit instauracionis; quod scilicet aliquando futura sit mutatio in ignis essentiam*. Hunc autem Mundum Solis sphæra circumscribi; partemque ejus dextram esse eam, quæ ad tropicum Cancri vergit, sinistram, quæ ad Capricorni, afferit. Generationem, & Corruptionem in Mundo fieri negans, omnia ex minimis corporibus coalescere ait; hinc concretionibus, & separationibus cuncta absolvi affirmat, sive composita non alteratione, & qualitate, sed quantitate, & coagmentatione existere.

Cœlum solidum corpus esse, factum ex aëre ignis vi, ut crystallus fieri solet, constipato; sidera vero igneæ naturæ; fixas stellas cœlo firmatas; errantes libere vagari; Solem ingentem massam igneam, Lunam mole qui superet, dixit: Lunam disci formam habere, ac spatio duplo majore à Sole, quam à terra distare: Mare esse terræ à sole adustæ sudorem: denique Animam omnis generis animalium, plantarumve species induere, ac principem ejus partem in sanguinea massa residere; auditusque sensum à vento, auris concavum cochleæ instar intortum impellente, peragi, docuit.

Mortuus tandem est anno ætatis 77. ex Neanthe, sive 60. ex Aristotele, sive 109. ut ex aliis. Mortis autem caussa varie ab autoribus traditur. Quidam cum Neanthe affirmant, eum Messanam celebritatis cujusdam caussa cum currū profectum cecidisse, coxamque fregisse, ex qua cruris fractione obiit. Alii dicunt, ipsum è vivis, dum in agro dormiret, sublatum esse ab ingenti voce vocatum,

& cœlesti luce oborta, ac tædarum splendore circumdatum evolasse; unde & ipsi tanquam Deo sacra facere statuerunt. Mortis caussas, & modum vide fusius apud Laërt. in Vit. atque alios. Clem. quoque Alex. de eo multa habet, ipsiusque versus sæpe citat.

## E P I C H A R M U S

**C**ous, Helothalis filius, Pythagoræ discipulus, infans adhuc trimestris Megaras Siciliæ delatus est, atque inde Syracusas, ut in suis Commentariis testatus ipse est. *De Natura, de Sententiis, & de Medicina* scripsit. Mortuus est annos natus 90.

## A R C H Y T A S

**T**arentinus Pythagoricus nobilissimus, & in omni virtutum genere mirabilis, Mnæsagoræ, sive, ut Aristoxenus habet, Hestiaei filius fuit. Hic Platonem à Dionysio necandum per epistolam eripuit; cui binas habet literas, quas videre est apud Laërt. in Vita. Tantæ hic virtutis fuit, ut cum cæteri plusquam annum imperare lege prohiberentur, ipse septies civibus suis præfectus fuerit. Naufragio periisse colligitur ex Od. 28. l. i. Horatii, ubi Poëta nautam inducit ea de re cum ipso expostulantem.

Primus traditur mechanicis usus principiis mechanicam excoluisse, cochleas, trochleas, & volantem columbam ex ligno fecisse; quæ tamen ubi semel quievisset, seipsam iterum elevare non posset. Primus Cubum duplicavit, ut testatur Plato in Rep. atque alia in Mathesi invenit. Moribus fuit modestissimus, nec obscena unquam verba protulit; quæ tamen, si ex necessitate proferre debebat, muro potius inscriberet, quam ore pronunciaret.

*Æque difficilem, dicebat, hominem invenire sine dolo, ac pescem sine spina.* Naturam temporis primus definivit, quod sit numerus quidam motus, vel etiam spatum naturæ totius universi. Cato apud Cic. de Sen. c. 12. refert Orationem ejus de Voluptate.

Scripsit quamplurima, quæ citantur à Laërt. Stob. &c aliis; potissimum vero notandum hic est, ipsum Pythagoras sententias numeris adstrinxisse, versusque hodie sub Pythagoræ nomine circumferri, ut notat Jamb. in Vit. Pyth. c. 21. atque Aureum Pythagoræ Carmen vocari; de quo supra. Huic etiam Athenæus οὐαρτούτιδ tribuit, sive libros de Arte Coquinaria; quamvis non nulli tertio hujus nominis eos adscribant. Vide Stanlejum in Vit. & Jo: Cler. in notis ejusdem.

## A L C M Æ O N

**C**rotoniata, Perithi filius, Pythagoræ discipulus, plurimum in Medicina versatus, de Natura disputans, multas humanarum rerum caussas esse dixit, animamque immortalem, quæ Solis instar perpetuo moveretur; de invisibilibus vero, & immortalibus rebus manifestam quidem scientiam habere Deos.

Docuit, planetas contrario fixis motu ab occasu in ortum moveri; Nos audire per inane, quod intra aurem est, quod appellente aëre personat, sicut & reliqua vacua; Sapores verò discernere humiditate, & tepore, qui in lingua est; Partem animæ principem in cerebro esse, quæ odores sentit, ipsos spirando attrahens; Mulos steriles esse ob seminis tenuitatem, sive frigiditatem, mulas vero, quia matræ carum non biant; Fœtum in utero ali per totum corpus, spon-

spongiae instar ad alendum apta recipiens, primumque in utero caput, principem animae partem formari; Sanitatem consistere in humidi, sicci, frigidi, calidi, dulcis, amari, ac reliquarum qualitatum perfecta æquabilitate; Contrà vero morborum omnium caussam esse efficientem quidem mutatam harum qualitatum proportionem, materialem vero si humores deficiant, vel redundant. Vid. Plut. Plac. Phil. 2. 4. & 5.

## HIPPASUS

**M**Etapontinus Pythagoricus in mari periisse à Jambl. in Vit. Pyth. c. 18. traditur. Laërtius in Vit. afferit, rerum omnium principium Ignem statuisse, ex quo scilicet omnia oriantur, & in quem omnia resolvantur. Ignis igitur extinctione res omnes gigni, dixit, ejusque partes crassiores condensatione in terram coalescere, quæ igne vicissim solutæ in aquam abeant; hanc vero exhalantem in aërem verti. Mundum universum ad certum aliquod tempus mutationi obnoxium, finitum, & in continuo motu constitutum, conflagratione tandem solvendum esse, defendit. Scriptum reliquit nihil, ut notat Demetrius.

## PHILOLAUS

**E**X Crotona Pythagoricus, à quo Pythagoricos libros argenti minis Alexandrinis 40. emisse Plato ab Hermippo traditur, obiit tyrannidis occupandæ suspectus. Omnia hic ex Harmonia, & Necessitate, ut refert Laërt. 8. 84. & Plut. Plac. Phil. 3. 13. fieri dixit; primusque τὸν γῆν κατὰ κύκλον, terram moveri per circulum, afferuit. Quam de terræ circa solem motu sententiam Pythagoricos omnes habuisse, Plutarchus in Numa tradit; ait enim: *Eos non putasse immobilem, sed esse in gyrum circa ignem suspensam.* Quod inventum alii Hicetæ Syracusio trituendum malunt, de quo Cic. Acad. Qu. 4. *Hicetas Syracusius, ut ait Theophrastus, Cælum, Solem, Lunam, Stellas, supera denique omnia stare censet; neque preter Terram rem ullam in mundo moveri.* Id quod & Plato jam senex sentiit, ut Plutarchus ibidem tradit.

Hanc autem antiquorum de Motu Terræ sententiam primus omnium in Italiam invexit Nicolaus Cusanus Cardinalis S. Petri ad Vincula I. 2. c. 12. Doct. Ignorant. Deinde 80. post annis eam defendit Nicolaus Copernicus in opere, quod Paulo III. Pont. Max. anno 1540. dicavit. Ipsam tandem propugnandam suscepserunt Patricius, Galilæus, Foscarius, Itali fere omnes, aliisque. Damnata tamen fuit à Cathol. Eccles. anno 1616.

Pythagorica de rerum Natura Philolaum edidisse, refert Demetrius. Et Lud. Viv. I. 1. p. 5. ipsum aurei carminis autorem facere videtur, dum ait: *Nec illa aurea, ut vocant, verba legerimus, nisi Philolaus aliquid ausus esset contra magistri præcepta, condiscipulis frementibus, & multum reclamantibus.* Mundum bis interitum dixit, ut testatur Plut. Plac. Phil. 2. igne scilicet cœlitus delabente, & lunari aqua per revolutionem aëris effusa: Solem vero discum esse vitreum, qui reverberantem ignis mundani omnis splendorem accipiat.

## EUDOXUS

**G**Nidius, Æschinis filius, Astrologus, Geometra, Medicus, & Legislator insignis, & ipse Pythagoricus fuit, quem Laërt. Geometriam ab Archyta, & Medicinam à Philistione Siculo didicisse refert. Hunc Platonis quoque discipulum fuisse, Sotion in success. testatur. Vigesimo tertio ætatis anno

Athenas venit cum Theomedonte Medico, à quo etiam nutriebatur; summo enim inter paupertatis angustias descendit studio tenebatur. Inde in Ægyptum cum Chrysippo Medico profectus, à Sacerdotibus per menses 16. plura didicit, quæ deinde literis consignavit, atque octo annorum historiam, juxta quosdam conscripsit. Civibus suis, aliisque civitatibus, quibus leges dedit, ac Matheseos disciplinas tradidit, Græcis denique omnibus gratissimus fuit. Plura scripsit præclara Commentaria, quæ habet Laërt. in ejus Vita, & mortuus est annum agens 53. floruitque circa Olympiad. 103. Sommum Bonum Voluptatem dixit, ut testatur Nicomachus, Aristotelis filius. Curvas lineas, earumque usum primus invenisse fertur. Huic tres filiae fuere Actis, Philtis, & Delphis, & filius, cuius Chrysippus, Æthlii filius, discipulus fuit. Eudoxo accepta referre debet, quæ de Diis, de Mundo, & Cœlestibus, literis mandavit Chrysippus Gnidius, Erinei filius. Atque hæc de Pythagoricis ex Laërt.

SEXTUS quoque Pythagoricus traditur, qui scripsit Enchiridion sententiarum; quem librum latine vertit Rufinus. De Pythagoricis doctrinis scripsere Aristoteles, Numenius, Cronius, Moderatus, Thrasyllus, & omnium clarissimus Plotinus, aliquique, quorum scripta interciderunt. Videantur etiam doctiss. Henricus Dodwellus in Dissertatione de ætate Pythag. Londini 1704. 8. edita; & Godefrius Wendelinus in Ep. ad Erycium Puteanum Dissert. de Pyth. Tract. Notandum hic, Numenium hunc Pythagoricum, Apameæ, Syriæ Urbe, ortum, non confundendum cum Numenio Pyrrhonio. Scripsit Numenius Pythagoricus, præter alia, Tractatum de Principiis Pythagoræ, & Platonis; dixitque, Platonem, quæ de Deo, & Mundi Creatione scripsit, à Mose mutuasse. Vide supra in Plat.

Qui tamen Pythagoræ successerint, præter relatos à Laërtio, hi à Vossio traduntur: Hippodamus Thurius, Euryphamus, Hipparchus, Archytas, Theagis, Metopus, Clinias, Crito, Polus, Lysides, & Theano, Pythagoræ Uxor; de quibus omnibus, præter Archytam, de quo diximus, Critonem, cuius etiam filios Socratem audivisse Laërtius tradit, & Theano, de qua dictum in Vita Pythag. nihil habet Laërtius in Vitis. Numam quoque Romanorum Regem, Pythagoricum facit Clem. Alex. 1. Strom. qui Numa ex iis etiam, quæ à Mose dicta sunt, adjutus, Romanis prohibuit, ne Dei imaginem homini, aut animali similem ficerent. Sed de Numa fusius lib. 4. hujus Historiæ agemus.

## C A P U T XII.

### *De Secta Heraclitea.*

DE Sectis, quæ ab Ionica derivarunt, jam satis supra actum est. Agendum nunc de Sectis, quæ ex Italica profluxere, quæ quatuor numerantur, Heraclitea, Eleatica, Pyrrhonia sive Sceptica, & Epicurea. Primæ igitur Sectæ autor

### H E R A C L I T U S

E Phesi natus ex patre, quem Laërtius Blysonem, Clem. Alex. Bausonem, Suidas Blosonem, vel Bleutonem vocant: Avunculum autem habuit Heraclenorū, cuius meminit in Epist. Hic juvenis cum esset, dixit, se nihil scire. Vir deinde factus dicebat, se nihil ignorare. Autodidaxs, nullo scilicet usus magistro dicitur nonnullis; Sotion tamen eum Xenophanis, Suidas etiam Hippasi discipulum faciunt, & Clem. Alex. cum multa ab Orpheo ac-